FLAVII EUTROPII BREVIARIUM HISTORIÆ ROMANÆ.

OBSERVATIONIBUS, Indice Latinitatis, & Geographiæ

EXORNATUM,

PRO USU STUDIOSÆ JUVENTUTIS.

Cum Facultate Superiorum

VARSAVIÆ

Typis S. R. M. & Reipublicæ in Collegio *Scholarum Piarum.*

Anno Domini 1744.

Ad Lectorem.

LEctionem Historiæ Romanæ, præcipuè quæ à Classicis Authoribus Conscripta est, Magnam utilitatem fructumq; Iuventuti afferre certissimum est, Quare placuit cum Facultate & Authoritate Superiorum Libellum hunc ab EVTROPIO de rebus gestis Romanorum, egregiè conscriptum commendare cùm propter puritatem Linguæ Latinæ, tum propter facilem Historiæ recordationem. Neq; vero hoc loci LAVRENTII REINHARDI Nomen, Silentio prætereundum duxerim, ut pote Viri de Republica Literaria benè meriti qui hanc EVTROPII Historiam suis observationibus illustravit & copiosissimo Indice Latinitatis auxit. Extant sub Ejusdem Nomine, hujusmodi Libelli HAFNIÆ impressi sed cùm non tam facilè ad nos advehi possint, dedi operam ut ad Communem Scholarum usum reimprimeretur. Nec ambigo quin à Multis Bonarum Artium Studiosis id quod feci probetur. Laudabis Ipsemet, ubi non sine Voluptate Libellum hunc, etiam atq; etiam legeris Vale.

TESTIMONIA DE EUTROPIO,

I.
CHRISTOPHORI CELLARII,
in præfatione novæ editioni præmiſſa.

EVtropium commendo, non antiquiſſimum quidem ſcriptorem, at ea tamen Latinitate, quæ augendæ eruditioni ſit, neq; aures vel doctiſſimas, offendat, quod nihil oſtendi forte poteſt, quod non idem ex Trajani meliori ævo comprobatur.

II.
TANAQUILLI FABRI.
in epiſt: XLI. tom: I.

EA autem omnia quinam è veteribus præſtiterunt rectius, quam Phædrus, Apollodorus, Eutropius, Cornelius Nepos & Pomponius Mela? qui libelli intra unius anni curriculū nullo poterunt negotio perlegi.

III.
JO. GOTTL: HEINECCII
in fundam. ſtyli cult: P. III. cap: I. de auct: lectione pag: 326.

LAtinitas Eutropij eſt ſimplex & nonnunquam ſatis terſa, ut adeo & vocum phraſiumq; copia legendo illo poſſit augeri, ſi quid: ex ſæculi ſui barbarie nævi trahit auctor, facile illud notari evitariq; poterit.

IV.

JO: GEORG: WALCHIJ

in Hiſt: crit: Lat. lingvæ Cap: 8. §. 5.

EVtropius non quidem ſtylo Nepoti aut alijs veteribus comparari poteſt, nec vero impurus eſt, nec ſtylo admiſcet labem, nec quidquam habet, quod ex antiquitate, argenteo ſaltem Latinitatis, ævo, defendi nequeat.

V.

FRID: JAC: BEYSCHLAGII

in ſylloge var: opuſc. tom. I. faſc: 1. p. 294.

EVtropium legere oportet pueros, tum quia ejus dictio facilis & ſatis pura eſt, tum quia elegans hiſtoriæ Romanæ compendium tradit.

HÆc clarorum virorum clariſſima teſtimonia adeo adponenda curavi, ut eo luculentius tibi, amice lector, adpareat, non temeraria ratione ſed conſilio utiliſſimo hunc ſuſcepiſſe laborem, Iterum vale.

LAURENTIJ REINHARDI
Diſſertatio Philologica
de
STYLO EUTROPII.

§. I.

STylus vel tenuis eſt, vel mediocris, vel ſublimis; id quod luculenter commonſtraſſe

ſtraſſe mihi videor in *Inſtitutionibus ſtyli Latini* nuper à me editis, earumq; capite altero.

§. II.

Qui tenui quidē, at naturali pulchritudine condecorato, Stylo utuntur, orationis ſimplicitate, quæ à fuco oratorio aliena eſt, plus plerumq; laudis apud cordatiores adipiſcuntur, quam alij ſollicita ſermonis magnificentia. Præcipue in enarrandis rebus hiſtoricis commode ſtylus adhibetur tenuis.

§. III.

Tenuis vero ſtylus illud eſt ſcribendi genus, quod verbis puris, perſpicuis, dignis & ſimplicibus, citra ſolliciti artificij ambages ac ſine crebriori troporum figurarumq; uſu, rem ita, uti eſt, exponit.

§. IV.

Styli hujus exemplum præbet tibi, amice lector, *Eutropius*, Italus; cujus *breviarium* (a) *Hiſtoriæ Romanæ* in ſcholis legendum & explicandum cenſuerunt viri præſtantiſſimi *Tanaquillus Faber* (b) *Chriſtophorus Cellarius* (c) *Joannes Gottlibius Heinec-*

(a) Vox *breviarium* adhibetur etiam à *C. Svetonio Tranquillio* in *Galba* cap. 12.

(b) in libro, qui præfert titulum *methode pour commencer les humanites Grecques & Latines*, & qui prodijt Salmurij an: 1672.

(c) in *præfatione* editioni ab ſe emiſſæ præfixa.

ineccjus (d), *Andreas Samuel Gesnerus* (e), & *Jacobus Fridericus Beyschlagius* (f): quorum judicia doctissimus quisque magni facere solet.

§. V.

Cum vero quatuor sint virtutes, quæ stylum præcipue decent historicum, *puritas* nimirum, *perspicuitas*, *dignitas* & *suavitas*; singulas hasce virtutes in stylo Eutropij inesse, breviter quidem at dilucide commonstrabo, & liquido confirmabo.

§. VI.

Quod ad puritatem styli Eutropiani attinet, non quidem nescio, eum quarto demum post recuperatam per Christum gratiam sæculo vixisse, quo summus ille Romani sermonis nitor evanescere cœperat; at cognitum quoque habeo atque perspectum, perpetua & adsidua præstantissimorum authorum imitatione tam præclaram elegantissimæ latinitatis facultatem eum sibi comparasse, ut parum impuritatis in hoc Romanæ historiæ breviario conspiciatur.

§.

(d) in *fundam styli cultioris* pag. 323. 324. 326.

(e) in tertio *programmate* eorum, quibus *Tan. Fabrij* methodum legendi auctores classicos Rotenburgi ad Tubarim persecutus est.

(f) in *Sylloge var: opusc.* tom. 1. fascic. pag. 194.

§. VII.

Generatim & ſtrictim id comprobatū dedi in copioſo illo *latinitatis indice*, quē novæ huic editioni à me vides eſſe ſubjunctum; verum, ut nemo non videat, me, Eutropium ſcholis commendando, utilitati ſcholaſticorum conſulere voluiſſe, uberiori ſermonis copia idem jam confirmabo.

§. VIII.

Quatuor omnino ſunt voces in toto Eutropij libello, quæ *cadentis latinitatis* aperta veſtigia produnt: duæ in eo exſtant phraſes, quas tuto hodie uſurpare nequeamus. Verum conſideres, quæſo, candide lector, pro ingenio tuo, memorabilia clariſſimi *Friderici Taubmanni* verba, quibus tum uſus eſt, cum Plautum ſuum ejuſque gloriam ab injuria ſtuderet (*) vindicare: *ut vinum*, inquit, *generoſius vinum eſſe non deſinit, etiamſi aliquot guttæ ab aqua ſint inſperſæ; ita auctor gratiam & ſplendorem apud doctos quidem candidoſque non amittet, etiam ſi vel ſuo vel ſæculi vitio aliquot maculæ inſederint.* Conſideres hæc & ad ea adplices tempora, in quæ Eutropij ætas incidit: ſimulque cogites, beatum *Andream*

(*) in diſſertatione *de lingva Latina*, pag. 61. illius editionis, quæ Wittembergæ an. 1606. prodijt.

am Iulium Dornmeierum (**) ipſius Ciceronis nævos indicaſſe ingenue; & illuſtrē virum, *Io. Wilhelmum Bergerum*, luculenter (***) commonſtraſſe, C. Julium Cæſarem, in cujus tamen laudibus coacervandi divinam præſtantiſſimi ingenij vim collaudatus vir oſtendere ſtuduit, aliqua habere non puriſſime dicta.

§. IX.

Mixtura illa, qua multi Græcas formulas interſpergere ſolent, non adprobatur ſed penitus reijcitur ab illuſtri *J. W. Bergero*(†), & ab erunditiſſimo *Christiano Henrico Weiſſio* (††) alijſque idoneis harum rerum judicibus. Verum ab injucunda hac mixtura alieniſſimus fuit Eutropius meus. Duæ quidem voces Græcæ in toto hiſtoriæ Romanæ breviario exſtant; ſed & neceſſitate & perſpicuitatis ſtudio adductum Eutropium ijſdem uſum eſſe, nemo non intelligit: ſicuti *Auguſtus Buchnerus*, celeberrimus ille, quem Germania olim habuit, orator, in præſtantiſſimo *de com-*

(**) in elegantiſſima *de vitioſo Ciceronis imitatore* diſſertatione, § 14. 15. 16. 17.

(***) in comment, *de naturali pulchritudine orationis*, Lipſiæ an. 1720. edito.

(†) in libro antea laudato. pag. 380. 381. ſqq.

(††) in libro *de ſtylo Romano*, pag. 177. 178. ſqq.

commutata ratione dicendi libello (***) ostendit, Ciceronem non nisi in tribus *orationum* locis, necessitate compulsum, voces mere Græcas adhibuisse.

§. X.

Vitavit etiam Eutropius archaismos, sive voces integrasque formulas, quæ aureo illo Latinitatis ævo non amplius fuerunt usitatæ: nec in breviario ejus conspiciuntur voces hybridæ, quæ, ex diversis conflatæ lingvis, stylum Romanum corrumpunt atque impurum reddunt.

§. XI.

Hactenus de styli Eutropiani puritate. Quod ad perspicuitatem illius attinet, eam tam manifestam esse existimo, ut is Romani sermonis prorsus expers cesendus sit, qui hanc probris incessere audeat Connectentium particularum curam interdū neglexit; at reliqua omnia, quæ perspicuitatis leges postulant, accurate satis ab eo sunt observata. Cumque nihil in historia, CICERONE teste, pura & illustri brevitate dulcius sit, nemo non videt, magnam esse styli Eutropiani præstantiam. *Formant*, inquit *Heineccius* (*), *periodos historici*, *sed breviores*; quam diligenter

 retho-

(***) Libri I. cap. VIII. §. 3. p. m. 137. 138.
(*) *fundam styli cult.* p. 173.

rhetorico huic præcepto morem gesserit Eutropius meus, quilibet haud difficulter cognoscet.

§. XII.

Ceterum Eutropius voces adhibuit honestas & doctas: studuit veracitati: æquabilis semper orationis cursus fuit tenacissimus, hoc est, ab eorum alienus fuit, more, qui mox excelsos styli sublimis sensus sectantur, mox ad styli tenuis humilitatem delabuntur: nunquam non consideravit, quid suaderet prudentia, quidque politici decoris ratio postularet. Ex quibus, quanta *dignitas* in stylo ejus insit, haud obscure cognosci potest.

§. XIII.

Neq; admisit quidquã Eutropius, quod *svavitatis* leges possit lædere; sed omnia expressit vocibus ac syllabis rei enarrandæ convenientibus. Quam svavis autem sit vocum phrasiumque delectus, quanta in eo ex syllabarũ accurata positione insit vis atque efficacia, *Jo. Wilhelmus Bergerus* in præstantissimo illo *de naturali pulchritudine orationis* libro luculenter ostendit. Quãobrem etiam olim Oratorũ Romanorum princeps Cicero, & Græcorum antesignanus Rhetorum Demosthenes, propter admira.

mirabilem, ex apta partium ſermonis poſitione ortam ſvavitatem, haud exiguam conſecuti ſunt gloriam.

§. XIV.

Denique nec *ornatus* plane deeſt ſtylo Eutropij, licet illo tempore is vixerit, quo pulchri illi Latinæ linguæ flores jam deciderant. Stylus hiſtoricus alienus debet eſſe à cultu & fuco oratorio: ideo cùm Grammaticus tum Rhetoricus ornatus, qui in Eutropij libello conſpicitur, non multa ſolicitudine inventus & vi quaſi protractus eſt, ſed ſponte ſua ubique ſeſe obtulit, neque naturalem imminuit pulchritudinem.

§. XV.

Tu igitur, dilectiſſima melioribus litteris dedita juventus, ama, lege & relege hoc Eutropij opuſculum, tibique perſvade, ex ejusdem lectione te plurimum percepturam eſſe utilitatis. Vale, meque, hominem tui amantiſſimum tuæque ſalutis cupidiſſimum, ama. Jterum Vale.

EUTRO-

EVTROPII 1) PRÆFATIO.

DOMINO VALENTI 2) GOTHICO MAXIMO PERPETUO AUGUSTO.

Res Romanas, 3) ex voluntate 4) mansuetudinis tuæ, ab urbe condita ad nostram 5) memoriam, quæ in negotiis 6) vel bellicis vel civilibus eminebant, per ordinem temporū brevi nar-

 ratio-

1) PRÆFATIO. Cum hæc epistola ab Eutropiani styli indole non abhorreat, solemnisque adulationis formulam contineat, genuinam eam esse arbitror, non suspectam.

2) GOTHICO. Per integrum triennium Valens adversus Gothos bellum gesserat, idque feliciter admodum composuerat, teste Ammiano Marcellino *lib.* 27.

3) *ex voluntate*, pro *secundum voluntatem*, conf. indicem Latinitatis.

4) *mansuetudinis*. Locutiones abstractæ in exprimendis Principum titulis sequiori demum ævo usurpari cœptæ sunt. confer. indicem Latinitatis.

5) *momoriam*, pro *ad nostra tempora*, Livius *L. II. lex agraria*, inquit, *nunquam usque ad hanc memoriam sine maximis motibus fuit agitata.*

6) *vel bellicis*, pro *& bellicis & civilibus*, Vid. *ind.*

ratione collegi ſtrictim, additis etiam his, quæ in principum vita egregia exſtiterunt: ut 7) tranquillitatis tuæ poſſit mens divina lætari, prius ſe illuſtrium virorum facta in adminiſtrando imperio ſecutam, quam 8) cognoſceret lectione.

EUTROPII HISTORIÆ ROMANÆ LIBER PRIMUS.

CAP. I.

ROmanum Jmperium, quo neque ab exordio ullum fere minus, neq; incremẽtis toto orbe amplius humana poteſt memoria recordari, a ROMULO exordiũ habet: qui 1) Veſtalis

(2

---

7) *tranquillitatis.* Vide indicem Latinitatis.
8) *cognoſceret.* Valens enim litterarum rudis fuit, & ſubagreſtis ingenij.
1) *Veſtalis.* Sacra Veſtæ, quæ Saturni credebatur filia, a Troianis in Italiam deportata fuerant: Numa deinde Romæ quoque templum eidem dedicavit. Veſtalium virginum munera erant 1. cuſtodire ignem perpetuum, 2. adſervare *palladium* ſeu minutam quandam Pelladis effigiem. 3. ſacra façere deæ adſidua diligentia, 4. conſervare florem virginitatis illibatum. Pro his eximij

ijsdem

2) virginis filius, & (quantum 3) putatus est) Martis, cũ REMO fratre uno partu editus est. Is cum inter pastores latrocinaretur, decẽ & octo annos natus urbem exiguam in 4) Palatino monte 5) constituit, XI. Kal. Maij, 6) Olympiadis sextæ anno tertio: post Troiæ excidium, ut qui plurimũ minimumq; tradunt, trecentesimo nonagesimo quarto. Condita civitate, quam ex nomine suo Romam vocavit, hæc fere egit: Multitudinem finitimo-

ijsdem tributi sunt honores. conf. Iusti Lipsij lib. *de Vesta & Vestalibus*.

2) *virginis*; nimirum Rheæ, Sylviæ, filiæ regis Numitoris, cuius frater Amulius cultui Vestæ eam devoverat.

3) *putatus est*; quia deus auctor culpæ honestior erat, ut scribit Livius *lib. I. cap.* 4.

4) *Palatino*. Propertius & Ovidius ideo hoc nomen ei inditum fuisse perhibent, quod in eo pecudes *palari*, id est, errare consuevissent: & quia prima imperij sedes in eo constituta fuit, cujusvis Principis aulam hodie *palatinum* vocamus.

5) *constituit*. Alii ante Romulum urbem conditam esse contendunt, & *Valentiam* vocatam. conf. *B.C. Richardi* dissert. *de Roma ante Romulum condita*.

6) *Olympiadis*. Olympias quarto quoq; anno finito celebrabatur a Græcis, qui sub annũ a condito mundo millesimũ tertium ducentesimũ tempora numerare cœperunt.

rum in civitatem recepit: centum ex ſenioribus legit, quorũ conſilio omnia ageret, quos ſenatores nominavit propter ſenectutem. Cum uxores ipſe & populus non haberent, invitavit ad ſpectaculũ ludorum vicinas urbis Romæ nationes, atque earũ virgines rapuit. Commotis bellis propter raptarũ, injuriã, Cæninẽſis vicit, Antemnates, Cruſtuminos, Sabinos, Fidenates, Veientes: hæc omnia oppida urbem cingunt. Et cum orta ſubito tempeſtate non comparuiſſet, anno regni trigeſimo ſeptimo ad deos tranſiſſe creditus eſt. Deinde Romæ per quinos dies ſenatores imperaverunt: & his regnantibus annus unus completus eſt.

Cap. II.

POſtea Numa Pompilius rex creatus eſt: qui bellũ nullum quidem geſſit, ſed non minus civitati, quam Romulus, profuit. Nam & leges Romanis,

mo-

moresque conſtituit, qui conſvetudine prœliorum jam latrones ac ſemibarbari putabantur; & ánnũ 1) deſcripſit in decem menſes, prius ſine aliqua computatione confuſum; & infinita Romæ ſacra ac templa conſtituit. Morbo deceſſit, quadrageſimo tertio imperij ãno.

Cap. III.

HUic ſucceſſit TULLIUS HOSTILIUS. Hic bella reparavit, Albanos vicit, qui ab urbe Roma XII. milliario 1) abſunt. Veientes & Fidenates, quorum alij ſexto milliario abſunt (ab urbe Roma;) alij octavo decimo, bello ſuperavit: Urbem ampliavit; adiecto 2) Cœlio monte. Cum triginta duobus an-

1) *deſcripſit.* Eutropius, quod Romulo tribuendũ Numæ adſcripſit: nam reliqui hiſtorici perhibent, Romulũ diviſiſſe annũ in decem menſes, Numã adieciſſe duos conf. G. *H. Nieuporti comp. ant. Rom.* p. 211.

1) *abſunt* pro *diſtant*. ita pariter locuti ſunt Nepos I. 4. 2. & Plautus *Aulul.* 2. 8. 10.

2) *Cœlio monte.* Hic nomen ſortitus eſt a *Cæle*, quodam Hetruſcorum duce, qui, cum Romulo adverſus Sabinos opem ferret, caſtra in eo poſuerat.

niś regnaſſet, 3) fulmine ictus, cum domo ſua arſit.

Cap. IV.

POſt hunc Ancus Marcius, Numæ ex filia nepos, ſuſcepit imperiũ. Cõtra Latinos dimicavit: 1) Aventinum montẽ civitati adiecit, & 2) Janiculũ: apud 3) oſtium civitatem ſupra mare ſexto decimo milliario ab urbe Roma condidit. Viceſimo quarto anno imperij morbo perijt.

Cap. V.

DEinde regnũ Priscus Tarquinius accepit. Hic numerũ ſenatorum dupli-

3) *fulmine.* Icti fulmine non cremabantur, ſed ibi tradebantur humo, ubi occiderant. conf. *Jac. Gutherij* 1. 2. *de iure manium.*

1) *Aventinum.* Hic nomen accepit non ab Aventino rege, nec ab Avente Sabinorum fluvio, ſed ab *avibus*, quod nomẽ Evandri & Herculis in Italiã adventũ habuit.

2) *Janiculum.* Hic mons ex quorundam ſententia, nomen accepit ab oppido vetuſtiſſimo, quod *Janus* condidiſſe dicitur; alij, eundem pop. Rom. in Hetruſcos eunti *ianuam* quaſi fuiſſe, aſſerunt.

3) *oſtiũ*, intellige *Tiberis*, unde colonia *Oſtia* dicta. *Cellarius.*

plicavit; Circum 1) Romæ ædificavit; 2) Ludos Romanos inſtituit, qui ad noſtrám memoriam permanent. Vicit idem etiam Sabinos: & non parum agrorũ, ſublatũ ijsdẽ, urbis Romæ territorio adjunxit; primusq; triumphans urbẽ intravit. Muros fecit, & 3) cloacas;

---

1) *Circum.* Circus dicitur, vel quod circũ metas & pomba ferebatur & equites currebant, vel quod ſpectaculis undique ædificatis ludi in media parte celebrabãtur. Hũc Tarquinius exſtruxit inter Aventinũ & Palatinũ montes: ejusque longitudo tria ſtadia ſuperabat, latitudo quatuor erat iugerũ. Cum poſtea plures circi exſtruerentur, diſcriminis ergo hunc adpellarunt *Maximũ.* Elegantem huj9 Circi deſcriptionẽ ex Livio atq; Svetonio excerptã exhibet laudatus ſupra *Nieuportus* in *explic. rit. Rom. p. m.* 218.

2) *Ludos Romanos.* Hi ludi dicti ſunt *magni*, quoniã magnis impenſis edebantur: per novem dies primũ in circo deinde in theatro peracti ſunt. Ceterũ hi *ludi Romani* ſunt peculiaris ſpecies ludorũ Romæ olim celebratorũ. Inſtituti ſunt in honorem triũ magnorũ deorum, Iovis, Iunonis, Minervæ. Sunt, qui cum Conſularibus ludis, quos ſupra capite primo in honorẽ *Conſi* ſive *Neptuni* Romulum celebraſſe Eutropius dixit, temere confundunt.

3) *cloacas.* Cloaca eſt locus cavus, per quẽ colluvies quædã fluit. Hæ cloacæ ſtructæ fuerunt ad ſordes omnes vel abluendas vel evehendas: montes erant ſuffoſſi, cloacæque e faſtigio ductæ erant in Tiberim: & teſte Livio hæ privata etiã paſſim ſubibant ædificia; ideoq; earum ſtructura magnificentiſſimis Romæ operibus adſcribitur

acas; 4) Capitoliũ inchoavit: tricesimo octavo imperij anno, per Anci filios occisus est, regis ej9, cui ipse successerat.

CAP. VI.

POst hunc SERVIUS TULLIUS suscepit imperiũ genitus ex nobili fœmina; captiva tamen, & ancilla. Hic quoq; Sabinos subegit: montes, tres, 1) Quirinalem, 2) Viminalem, 3) Esquilinũ, urbi adiunxit; fossas circa murũ duxit. Primus omnium 4) censum ordinavit, qui adhuc per orbem terrarum incognitur.

bitur. conf. *Justi Lipsij Operũ*, Antwerpiæ conjunctim editorum, *Tom.* 3. *p.* 446.

4) *Capitolium.* Hoc erat arx omniũ magnificentissima, quæ quasi sedes quædã imperij Romani & arx omnium nationũ fuit, & a capite humano, ibi, cum exstrueretur, invento nomen hebet.

1) *Quirinalem.* Hic nomen sortitus est ab æde Quirini: nostro tempore dicitur mons *Caballinus*, a duobus equis marmoreis, qui stant ibidem in excelsa basi, cum suis ductoribus, prope ædem Saturni.

2) *Viminalem.* Hic mons nomen invenit a viminũ copia; quæ tamen cujus generis fuerint, nec Varro dixit nec Plinius.

3) *Esquilinum.* Hic primũ dictus *Excubinus*, quia excubiæ ibi agebantur: postea, mutata pronuntiatione, *Exquilinus*; & tandem, melioris soni gratia, *Esquilinus*.

4) *Censum ordinavit.* 1)

gnitus erat. Sub eo Roma, omnibus in censum delatis, habuit capitũ LXXXIII. millia civium Romanorum, cum his, qui in agris erant. Occisus est XIV. imperij anno, scelere generi sui Tarquinij, filij ejus regis, cui ipse successerat: & filiæ suæ, quam Tarquinius habebat uxorem.

Cap. VII.

Lucius Tarquinius Superbus, septimus atq; ultimus regum, Volscos (quæ gens ad Campaniã euntibus non longe ab urbe est) vicit: Gabios civitatem, & Suessam Pometiam subegit: cum Tuscis pacẽ fecit, & templum Jovi in Capitolio ædificavit. Postea Ardeam oppugnans, in octavo decimo milliario ab urbe positam civitatem, imperium 1) perdidit. Nam cum filius ejus, & ipse Tarquinius junior, nobilissimam fœminam Lucretiam, eandemq;

1) *perdidit* i. e. amisit. Vide *indicem Latinitatis*.

2)

demq; pudicissimam, Collatini, uxorem, stuprasset, eaq; de injuria marito & patri, & amicis questa fuisset, in omnium conspectu se occidit. Propter quam causam Brutus; parens & ipse Tarquinij, populum 2) concitavit, & Tranquinio ademit imperiũ. Mox exercitus quoq; eum, qui civitatẽ Ardeam cum ipso rege oppugnat, reliquit: veniensq; ad urbẽ rex, portis clausis, exclusus est. Cumq; imperasset annos viginti quinque, cum uxore & liberis suis fugit. Jta Romæ regnatum est per septem reges annis ducentis quadraginta tribus, cum adhuc Roma, ubi plurimum, vix usq; ad quintum decimum milliarium possideret.

Cap. VIII.

HInc 1) Consules cœpere pro uno rege duo hac de causa creari, ut si unus

2) *concitavit* i. e. ad seditionem & tumultum instigavit. Conf. Nepot. III. 1. §. 3.

1) *Consules. Consulere* Quintiliano *lib.* 1. *cap.* 6. *institut,*

unus malus eſſe voluiſſet, alter eum, habens poteſtatem ſimilẽ coerceret. Et placuit, ne imperium longius, quam annum unum, haberent, ne per diuturnitatẽ poteſtatis inſolentiores redderentur, ſed 2) civiles ſemper eſſent, qui ſe poſt annum ſcirent futuros eſſe privatos. Fuerunt igitur anno primo, expulſis regibus, Coss. L. Junius Brutus, qui maxime egerat, ut Tarquinius pelleretur: & Tarquinius Collatinus, maritus Lucretiæ. Sed Tarquinio Collatino ſtatim ſublata dignitas eſt. Placuerat enim, ne quisquam in urbe mane-

---

orat. idem olim ſignificaſſe videtur, quod *judicare*. Petrus Ioſeph. Cantelius p. 248. libelli *de rep, Romana*, *conſules*, inquit, *primum dicti ſunt prætores, quod civibus præeſſent; deinde judices a judicando: deniq; a conſulendo conſules dicti ſunt.* Conſules ſacra faciebant, ius ſecundũ leges dicebant, ſenatum cogebant, ſententias rogabant, comitia habebant, ſenatus cõſulta & plebiſcita exequebãtur, delectus habebant, iuſſu populi gerebant bella, tuebantur ſocios, adminiſtrabant; & denique ſuo cum nomine tum magiſtratu annorũ numerũ ſignabant. Rationem hanc annos deſignandi oſtendit Beniam Hederichius in *faſtis conſularibus*.

2) *civiles*. Civilis h. l. eſt is, qui non ferox nec impotentis eſt libidinis, ſed civitatis ſaluti ſemper conſulit.

neret; qui Tarquinius vocaretur. Ergo accepto omni patrimonio ſuo, ex urbe migravit, & loco ipſius factus eſt Valerius Publicola conſul.

Cap. IX.

COmmovit tamen bellũ urbi Romæ Rex Tarquinius, qui fuerat expulſus: & collectis multis gentibus, ut in regnũ poſſet reſtitui, dimicavit. Jn prima pugna Brutus conſul, & 1) Aruns Tarquinij filius, invicẽ ſe occiderunt. Romani tamen ex ea pugna victores 2) receſſerunt: Brutũ Romanæ matronæ, defenſorem pudicitiæ ſuæ, quaſi communem patrẽ, per annũ 3) luxerunt. Valerius Publicola Sp. Lucretium Tricipitinũ collegã ſibi fecit, Lucretiæ patrem: quo morbo mortuo, iterũ Horatium Pulvillum collegã ſibi ſumſit. Jta

1) *Aruns.* Hic tum equeſtris militiæ duxerat.

2) *receſſerunt.* Alias dicitur: ſuperiores prœlio diſceſſerunt; vid. Corn. Nep. XVIII. 10.

3) *luxerunt.* Alias dicitur: *eum ut parentem luxerunt*, vid. Iuſtin. XIII. 1. 4.

Jta primus annus quinq; consules habuit: cum Tarquinius Collatinus urbe cessisset propter nomen: Brutus prœlio perisset; Sp. Lucretius morbo mortuus esset.

Cap. X.

SEcundo quoq; anno iterũ Tarquinius, ut reciperetur in regnũ, bellum Romanis intulit, auxiliũ ferente Porsena Tusciæ Rege: & Romam pene cepit. Verũ tum quoq; victus est. Tertio anno post reges exactos, Tarquinius, cum suscipi non posset in regnum, neq; ei Porsena, qui pacem cum Romanis fecerat, auxiliũ præstaret, Tusculũ se contulit, quæ civitas non longe ab urbe est: atque ibi per quatuordecim annos privatus cum uxore consenuit. Quarto anno post regés exactos, cum Sabini Románis bellũ intulissent, victi sunt, & de his est triumphatum. Quinto anno, Valerius ille Bruti collega,

lega, & IV. Cos. 1) fataliter mortuus eſt, adeo pauper, ut collatis a populo nummis ſumtū habuerit ſepulturæ: quem matronæ, ſicut Brutum, 2) annum luxerunt.

Cap. XI.

NOno anno poſt reges exactos, cum gener Tarquinij, ad injuriam ſoceri vindicandam, ingentem collegiſſet exercitū, nova Romæ dignitas eſt creata, quæ 1) Dictatura adpellatur, major quam coſularis. Eodem anno etiā

2)

1) *fataliter.* Fataliter mori eſt *morbo mori.* Sic quoque a Plinio epiſt. I. 12, 1. & a Tacito annal. II. 71. 2. mors *fatalis* opponitur *violentæ*.

2) *annum*, Superiori capite dixerat *per annum.* Utrimque pure loquitur.

1) *Dictatura.* Omne Latinum nomen, auctore Mamilio Tarquinij genero in Romanos conjuraverat: plebs alieno ære oppreſſa detrectabat militiam: his de cauſis rei publicæ nihil utilius eſſe cenſuerunt patres, quam ſi magiſtratus crearetur, penes quem ſumma pacis belliq; eſſet poteſtas; qui nuncupabatur *dictator*. Huic delata ſunt omnia regum tum inſignia tum jura: purpura, ſella curulis, equi phalerati, lictores cum ſecuribus viginti quatuor; ſummumq; & domi & foris imperium. At non annis ſingulis legebatur dictator, ſed tum, cum periculum immineret.

2) Ma-

2) Magiſter Equitum factus eſt, qui Dictatori obſequeretur. Neque quidquam ſimilius poteſt dici, quam dictatura antiqua huic imperij poteſtati, quam nunc tranquillitas veſtra habet: maxime cum Auguſtus quoq; Octavianus, de quo poſtea dicemus, & ante eũ Cajus Cæſar, ſub dictaturæ nomine atq; honore regnaverint. Dictator autem Romæ primus fuit Largius: magiſter equitum primus Sp. Caſſius.

Cap. XII.

SExto decimo anno poſt reges exactos; ſeditionem populus Romæ fecit, tanquam à ſenatu atq; conſulibus premeretur. Tum & ipſe ſibi 1) Tribunos Plebis, quaſi proprios judices &

---

2) *Magiſter equitum.* Sicut dictator univerſo populo Romano, ita *mag. equit.* proprie præerat *equitibus*, teſte Livio lib. 3. c. 27. Dicto dictatoris eum oportebat eſſe audientem, dictatoremq; & re & conſilio juvare. Ceterum inſignia magiſtri equitum eadem fere fuerunt, quæ prætoris, ſex nimirum lictores cum faſcibus, toga prætexta, & alia.

1) *Tribunos plebis.* Hi ſacroſancti erant, & illius caput Iovi ſacrum erat illiusq; bona publicabantur, qui verbo

& defenſores, creavit, per quos contra ſenatũ & conſules tutus eſſe poſſet. Sequenti anno Volſci bellũ reparaverunt, & victi acie, etiam Coriolos civitatẽ, quam habebant optimam, perdiderunt.

Cap. XIII.

Octavo decimo anno poſt ejectos reges expulſus ex urbe Q. Marcius, Dux Romanorũ, qui Coriolos ceperat, Volſcorum civitatẽ, ad ipſos Volſcos 1) contendit iratus; & 2) auxilia contra Romanos accepit Romanosq́ʒ ſæpe vicit: uſq́ʒ ad quintum milliariũ urbis acceſſit, oppugnaturus etiam patriam, le-

eorum ſolemni VETO parere nolebat, teſte Livio VI. 35. Quoties ad ſenatus ſententiam acceſſerant, toties ſenatus conſultis littera T. ſubſcribebatur, teſte Val. Maximo II. 2. 7. p. m. 47. Unus etiam ex omni tribunorum plebis collegio decreta reliquorũ impedire poterat: quo auxilio ſenatores & conſules ſæpius adverſus plebem uſi ſunt. Poſthac vero tribuni plebis juſto majorẽ ſibi ſumere cæperunt libertatem: hanc interſerentes cauſam, ſe tueri libertatem populi.

1) *contendit*, pro *celeriter profectus eſt*; conf. Nep. V. 3. & Cæſar. de b. c. 3. 13.

2) *auxilia* ſive *copias auxiliares*. Ita pariter loquuntur Cicero ep. II. 10. & Nep. 22. 2.

1)

legatis, qui pacē petebant, repudiatis; nisi ad eum mater Veturia, & uxor Volumnia ex urbe venissent: quarum fletu & deprecatione superatus, removit exercitum. Atq; hic secundus post Tarquinium fuit, qui dux contra patriam suam esset.

Cap. XIV.

CÆsone Fabio & Tito Virginio Coss. trecenti nobiles homines, qui ex 1) Fabia familia erant, contra Veientes bellū soli susceperunt, promittentes senatui & populo, per se omne certamen 2) implendum. Itaq; profecti omnes nobiles, & qui singuli magno-

1) *Fabia familia.* Quantam gloriam hi deinceps adepti sint. Corn. Nepos XI. 2. 4. indicat: præstantissimos, inquiens milites Romanos per antonomasian dictos fuisse *Fabianos*.

2) *implendum.* Hoc loco *implendum* ponitur pro *impletū iri*. Sic Sulpicius Severus lib. 1. *hist. sacr.* cap. 6. *multiplicandum*, inquit, pro *multiplicatum iri, semen ejus dominus spopondit.* Similes locutiones occurrunt ejusdem libri capite quarto & octav. Conferantur *Jo. Vorstij* notæ, *Sulpicium Severum* illustrantes, una cum dissertatione doctissimi *Christiani Breithaupti* de *stylo Sulpicij Severi*, Halæ an. 1713. edita.

rum exercituum duces esse deberent, in prœlio conciderunt. Unus omnino superfuit ex tanta familia, qui propter ætatem puerilem duci non potuerat ad pugnam. Post hæc census in urbe habitus est, & inventa sunt civium capitũ CXIX. millia.

CAP. XV.

SEquenti anno, cum in Algido monte, ab urbe duodecimo ferme milliario, Romanus obsideretur exercitus, L. Quintius Cincinnatus dictator est factus: qui agrũ quatuor jugerum possidens, manibus suis colebat. Js cum in 1) opere & arans esset inventus, sudore deterso, 2) togã prætextam accepit, & cæsis hostibus, liberavit exercitum.

CAP.

1) *in opere*, hoc est in agricultura; conf. Iustin. 3. 3. 6.
2) *togam prætextam*. Toga, quæ in extrema ora purpuram prætextam habebat, erat insigne consulis: & hanc olim quidem plerumq; ante deos penates primo magistratus sui die sumebant, postea vero ex templo Iovis Capitolini, in quo adservabatur.

1)

CAP. XVI.

Anno CCC. & altero ab urbe condita, imperium consulare cessavit, & pro duobus COSS. decem facti sunt, qui summam potestatem haberent, 1) DECEMVIRI nominati. Sed cũ primo anno 2) bene egissent, secundo unus ex ijs Appius Claudius Virginij cujusdam, qui honestis jam stipendijs contra Latinos in monte Algido militabat, filiam virginẽ corrumpere voluit: quam pater occidit, ne stuprum à decemviro sustineret: & regressus ad milites movit tumultum. Sublata est decemviris potestas, ipsique damnati sunt.

CAP. XVII.

Anno trecẽtesimo decimo quinto ab urbe condita, Fidenates contra Ro-

1) *Decemviri*, Hi ex Patriciis creati sunt, postquam legati in Græciam missi Atheniensium leges a *Dracone* & *Solone* latas Romam attulerant.

2) *bene egissent;* nimirum decem tabulas legum proponendo & confirmando easq;, duabus posthac additis, augendo, sicque juris publici pariter atq; privati per orbem Romanum fundamentũ ac normam constituendo.

manos rebellaverunt. Auxilium præſtabant his Veientes, & rex Veientium Tolumnius. Quæ ambæ civitates tam vicinæ urbi ſunt, ut Fidenæ ſexto, Veientes XVIII millario abſint. Coniunxerunt his & Volſci. Sed Mamerco Æmilio dictatore, & L. Quintio Cincinnato magiſtro equitum, victi, etiam regem 1) perdiderunt. Fidenæ captæ, & exciſæ.

Cap. XVIII.

POſt XX. annos Veientani rebellaverunt. Dictator contra ipſos miſſus eſt Furius Camillus, qui primum eos vicit acie: mox etiã civitatem diu obſidens cepit, antiquiſſimam Italiæ atq; ditiſſimam. Poſt eam cepit & Faliſcos, non minus nobilẽ civitatem; ſed commota eſt ei 2) invidia, quaſi prædam male

1) *perdiderunt;* pro *amiſerunt.* conf. Iuſtin. 8. 1.

2. *invidia.* Vox *invidia* ſæpe ponitur pro odio. Sic Nepos X. 4. 1. *id factum,* inquit *magna fuit invidiæ tyranno* Ideoq; Cicero *libro II. de Orat.* id vocat. *invidiosũ,* quod odium parit. Conf. Jo *Vorſtii* lib. *de Lat. ſel.* p. m. 29.

male diviſiſſet: damnatuſq; ob eam cauſam, & expulſus civitate eſt. Statim Galli Senones ad urbem venerunt, & victos Romanos undecimo milliario à Roma apud flumen Alliam ſecuti, etiam urbem occuparunt: neque defendi quidquam, niſi Capitoliū, potuit. Quod cum diu obſediſſent, & jam Romani fame laborarent, à Camillo, qui in vicina civitate exſulabat, Gallis ſuperuentū eſt, graviſſimeq; victi ſunt. Poſtea tamen, accepto etiam auro, ne Capitoliū obſiderent, receſſerunt; ſed ſecutus eos Camillus, ita cæcidit, ut & aurū, quod his datū fuerat, & omnia, quæ ceperant, 2) militaria ſigna revocaret.

2) *militaria ſigna.* Hæc Deorū fere loco colebantur, ſupplicio in milites conſtituto, qui ea amiſiſſent. Equites habebant vexilla, quibus nomen imperatoris intextum erat litteris aureis. Ceteri primum lupo, minotauro, equo, apro, dracone; aliiſq; animalibus utebantur pro ſignis; poſtea vero in ligneolo tranſverſo haſtæ adfixo Deorum & Principum conſpiciebantur imagines. Totius legionis ſignum erat aquila aurea.

Ita tertio triumphans urbem ingreſſus eſt, & adpellatus ſecundus Romulus; quaſi & ipſe patriæ conditor.

LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

ANno trecenteſimo ſexageſimo quinto ab urbe condita, poſt captam autem primo, dignitates mutatæ ſunt, & pro duobus Coss. facti 1) TRIBUNI MILITARES conſulari poteſtate. Hinc jam cœpit Romana res creſcere. Nam Camillus eo anno Volſcorũ civitatẽ, quæ per ſeptuaginta annos bellum geſſerat, vicit: & Æquorum urbem, & Sutrinorum, atq; omnes, deletis eorum exercitibus, occupavit, & tres

1) *Tribani militares*, Tribuni plebis cum ingenti contentione poſtulaverant, ut conſulatus communicaretur cum plebe: & cum ſenatus animadverteret, ſe iſti contentioni imparem futurum, & ex ſenatus & ex populi voluntate tres tribuni militares ex patricijs, tres ex plebeijs creabantur, teſte Dionyſio Halicarn. *antiqv. Rom.* XI. 60.

2)

tres ſimul triumphos egit. Titus etiam Quintius Cincinnatus Præneſtinos, qui uſque ad urbis Romæ portas bello venerant, perſecutus, ad flumen Alliam vicit: & civitates, quæ ſub ipſis agebant, Romanis adiunxit. Jpſum 2) Præneſte adgreſſus, in 3) deditionē accepit; quæ omnia ab eo geſta ſunt viginti diebus: triumphusq; ipſi decretus. Verum dignitas Tribunorū militarium 4) non diu perſeveravit. Nam poſt aliquantum nullo placuit fieri; & quadrienniū ita in urbe fluxit, ut poteſtates ibi majores non eſſent. Præſumſerunt tamen Tribuni militares, conſulari poteſtate iterū dignitatem, & tri-

2) *Præneſte*, natura & arte munitū. Unde Livius in hac ipſa hiſtoria Præneſte vocat *caput belli*, lib. 6. c. 29. *Cellarius.*

3) *deditionem.* Deditionem facientes ſordida veſte induebantur, arma abijcere ſeu potius tradere jubebantur, clypeum aut abijciebant aut capiti imponebant. Interrogati ab imperatore: *dediſtiſne vos in meam poteſtatem?* reſpondebant: *dedim9*; quo facto, *at ego*, inquiebat, *recipio.*

4) *non diu*, In computando tempore hoc loco turpiter erraſſe Eutropium, infra ex *notis criticis Glareani* cognoſces, lector amice.

triennio perseveraverunt. Rursus consules facti. CAP. II.

L. Genucio, & Q. Seruilio Coss. mortus est Camillus: honor ei secundus post Romulum delatus est. T. Quintius dictator adversus Gallos, qui in Italiam venerant, missus est. Hi ab urbe quarto milliario, trans Anienē fluvium 1) consederant. Nobilissimus 2) de senatoribus T. Manlius, 3) provocantē Gallū ad singulare certamen, congressus occidit: & sublato torque aureo, colloq; suo imposito, in perpetuum 4) Torquati sibi & posteris cognomen accepit. Galli fugati sunt: mox per C. Sulpitium dictatorē etiam victi. Non multo post à C. Mar-

tio

1) *consederant* Etiam apud Cæsarem de B. G. I. 21. & 47. *considere* idem est quod *castra metari.*

2) *de senatoribus*, pro *nobilissimus senatorum.* Sic Nepos II. 4. *fidelissimum*, inquit, *de servis suis misit.*

3) *provocantem.* Alias dicitur: *aliquem sibi privatum hostem deposcere*; vid. Iustin. 12. 8.

4) *Torquati* Familiam hujus eleganter describit *Petrus Josephus Cantalius* p. m. 327. præstantissimi *de Romana republica* libri.

1) re-

tio Tuſci victi ſunt: VIII. millia captivorum ex his in triumphum ducti.

Cap. III.

CEnſus iterum habitus eſt. Et cum Latini Romanis ſubacti erant, milites præſtare nollent, ex Romanis tantũ tirones lecti ſunt, factæq; legiones decem, qui modus ſexaginta, vel amplius, armatorũ millia efficiebat. Paruis adhuc Romanis 1) rebus, tanta tamen in re militari virtus erat. Quæ cum profectæ eſſent adverſus Gallos, duce L. Furio, quidam ex Gallis unum è Romanis, qui eſſet optimus, provocavit. Tum ſe M. Valerius tribunus militũ obtulit: & cum proceſſiſſet armatus, corvus ei ſupra dextrum brachiũ ſedit; mox commiſſa adverſus Gallum pugna, idem corvus alis & ungvibus Galli oculos verberavit, ne rectũ poſſet adſpicere. Ita à tribuno Valerio

1) *rebus:* cum Romanorum potentia adhuc eſſet exigua.

lerio interfectus, non solum victoriã ei, sed etiam nomen dedit. Nam postea idem 2) Coruinus est dictus. Ac propter hoc meritum annorũ trium & viginti Cos. est factus. Latini, qui noluerunt milites dare, hoc quoq; à Romanis exigere cœperunt, ut unus consul ex eorũ, alter ex Romanorũ populo crearetur. Quod cum esset negatum, bellum contra eos susceptum est, & ingenti pugna superati sunt: ac de his perdomitis triumphatum est. Statutæ consulibus ob meritum victoriæ in 3. Rostris positæ sunt. Eo anno etiam

2) *Corvinus.* De hujus nomine & familia erudite exponit *Cantelius P. II.* libri *de rep. Rom.* pag. 343. 344.

3) *Rostris.* Rostra fuere in medio foro, nihilque aliud quem tribunal rostris navium Antiatium ornatum. Plinius XVI. 4. ea *summum decus fori* adpellat. Hoc in loco, veluti celeberrimo caussæ agebantur publicæ, rei & accusabantur & defendebantur, orationes habebantur de rebus gravissimis, defuncti laudabantur, & proscriptorum capita ostendebantur. De reliquo omnes statuæ tam pedestres quam equestres pro Rostris ponebantur. Cicero *orat. pro Deiot.* cap. 12. *nullus*, inquit, *locus ad statuam ponendam est Rostris clarior;* & Plinius XXXIV. 6. *senatus*, inquit, *statuam poni jussit Octavio quam oculatissimo in loco. in Rostris.*

am Alexandria, ab Alexandro Macedone, condita est.

Cap. IV.

JAm Romani potentes esse cœperunt. Bellū enim in centissimo & tricesimo fere milliario ab urbe apud Samnites gerebatur, qui medij sunt inter Picenū, Campaniam, & Apuliam. L. Papirius Cursor cum honore dictatoris ad id bellum profectus est. Qui cum Romam redisset, Q. Fabio Maximo, magistro equitū, quem apud exercitum reliquit, præcepit, ne se absente pugnaret. Jlle, occasione reperta, felicissime dimicavit, & Samnites delevit. Ob quam rem à dictatore capitis damnatus, quod se vetante pugnasset, ingenti favore militum & populi liberatus est, tanta Papirio seditione commota, ut pene ipse interficeretur. Postea Samnites Romanos, T. Veturio & Sp. Pustumio Coss. ingenti dedecore

vice

vicerunt. Pax tamen a ſenatu & populo ſoluta eſt, quæ cum ipſis propter neceſſitatem facta fuerat. Poſtea Samnites victi ſunt a L. Papirio conſule: ſeptem millia eorum ſub 1) jugum miſſa: Papirius de Samnitibus triumphavit. Eo tempore Appius Claudius cenſor 2) Aquam Claudiam induxit, & 3) viam Appiam ſtravit.

CAP.

---

1) *ſub jugum miſſa.* Quoties hoſtes traditis armis deditionem faciebant, Romani duo tigna humi defigere conſveverant, hiſq; tertium tranſverſum ſuperimponere, & captivos ſub iſta tigna tranſmittere atque liberos ad ſua dimittere. Hoc illi vocabant *jugum*, conf. *Roſini antiqv. Rom.* X. 21.

2) *Aquam Claudiam.* Roma diu erat ſine aquæ ductibus; hac vero urbe aucta, cum in collibus, procul â flumine, vitam degerent, aqua quæſita eſt & per tubos ac canales in fornicibus lateritijs Romam advecta. Hujus Claudij mandato in aquæ ductibus & fabrica erat mirifica, & aquarum ſalubritas prorſus ſingularis: flumina per urbem fluebant, & unaquæq; domus habebat fiſtulas & canales, quibus aqua inducebatur. Vide *Lipſij* librum *de magnit. Rom.* p. 445. *Oper tom. III.*

3) *Viam Appiam.* Hæc erat regina viarum urbis Romæ, & pertinebat Capuam, ea latitudine, ut duo currus ex adverſo obvij libere poſſent pervadere & commeare. Lapides ſilicei & duriſſimi in hanc viam advecti erant: hiq; deinde plani & quadrati redditi jungebantur ita, ut non conjuncti ſed congeniti viderentur conf. *Procop. lib.* 1. *de bello Goth.* & *Lipſij* Oper. tom. 3. pag. 443.

Cap. V.

SAmnites reparato bello Q. Fabium Maximum vicerunt, tribus millibus hominum occiſis. Poſtea cũ pater ei Fabius Maxim9 legatus fuiſſet, & Samnites vicit, & plurima eorum oppida cepit. Deinde P. Cornelius Ruſinus, Manius Curius Dentatus, ambo Coſſ. contra Samnites miſſi, ingentibus prælјs eos confecêre. Tum bellũ cum Sámnitibus per annos novem & XL. 1) actum, ſuſtulerunt; neque ullus hoſtis fuit intra Italiam, qui Romanam virtutẽ magis fatigaverit. Jnteriectis aliquot 2) annis, iterum ſe Gallorum copiæ, contra Romanos, Tuſcis Samnitibuſq; junxerunt: ſed cum Romam tenderent, à Cn: Cornelio Dolabella Cos. 3) deletæ ſunt.

---

1) *actum. Bellum agere* dixerunt etiam Cæſar de B. G. III. 28. & Ovidius *art. am.* 1, verſu 182.
2) *annis.* Sic Cæſar de B.G. III. 4. *interiecto brevi ſpatio.*
3) *deletæ ſunt. Delere copias* eſt idem, quod *funditus profligare copias*. cõf. Nep. IV. 1. Tacit. hiſt. II. 26: & Curt. IV. 9.

Cap. VI.

EOdem tempore Tarentinis, qui jam in ultima Italia ſunt, bellum indictū eſt: quia legatis Romanorum injuriā feciſſent. Hi Pyrrhum, Epiri regem, contra Romanos auxilio popoſcerunt, qui ex genere Achillis originem trahebat. Is mox ad Italiam venit, tumq; primum Romani cum transmarino hoſte dimicaverunt. Miſſus eſt contra eum conſul P. Valerius Levinus, qui, cum exploratores Pyrrhi cepiſſet, juſſit eos per caſtra duci, oſtendi omnem exercitum, tumq; dimitti, ut renuntiarent Pyrrho, quæcunq; à Romanis agerentur. Commiſſa mox pugna, cum jam Pyrrhus fugeret, elephantorū auxilio vicit, quos incognitos Romani expaverunt: ſed nox prœlio finem dedit. Levinus tamen per noctem fugit. Pyrrhus Romanos mille octingentos cepit, eoſq; ſummo honore tractavit: occiſos

occiſos ſepelivit. Quos cum 1) adverſo vulnere & truci vultu, etiam mortuos iacere vidiſſet, tuliſſe ad cœlum manꝰ dicitur, cũ hac voce: *ſe totius orbis dominum 2) eſſe potuiſſe, ſi tales ſibi milites contigiſſent.*

Cap. VII.

POſtea Pyrrhus, junctis ſibi Samnitibus, Lucanis, Bruttijſq́; , Romam perrexit, omnia 1) ferro igneq́; vaſtavit: Campaniam 2) depopulatus eſt, atq́; ad Præneſte venit, milliario ab urbe octavo decimo. Mox terrore exercitus, qui cum conſule ſequebatur, in Campaniã ſe recepit. Legati ad Pyrrhũ de redimendis captivis miſſi, ab eo ho-

1) *adverſo vulnere* h. e. vulnere in pectore accepto. Confer *indicem Latinitatis.*

2) *dominum.* Dominus h. l. quidem idem ſignificat, quod *poſſeſſor;* qua notione idem vocabulum uſurpatur a Cicerone *or. pro S. Roſc. Amer.* cap: 8. Simul tamen etiam h. l. indicat dominatorem.

1) *Ferro. Ferrum* apud optimos auctores *metonymice* ponitur pro gladio: effectum nimirum pro materia, ex qua id effectum. conf. Nepot. VII. 10. XXI. 1.

2) *depopulatus eſt.* Nepos XVII, 3. *eamq́; regionem prius depopulatus eſt, quam Tiſſaphernes uſquam ſe moveret.*

honorifice suscepti sunt: captivos sine pretio Romã misit. Vnum ex legatis Romanorum, Fabricium, sic admiratus est, ut, cum eum pauperem esse cognovisset; quarta parte regni promissa, sollicitare voluerit, ut ad se transiret; contemtusq; à Fabricio est. Quare cum Pyrrhus ingenti Romanorum admiratione teneretur, legatum misit, qui pacem æquis conditionibus peteret, præcipuum virum, Cineam nomine, ita ut Pyrrhus partem Italiæ, quam jam armis occupaverat, obtineret. Pax displicuit: remandatumq; Pyrrho à Senatu est, eum cũ Romanis, nisi ex Italia recessisset, pacem habere non posse. Tum Romani jusserunt captivos omnes, quos Pyrrhus reddiderat, infames haberi, quod se armis defendere potuissent: nec ante eos ad veterem statum reverti, quã sibi notorum hostium occisorum spolia retulissent. Ita

lega-

legatus Pyrrhi reverſus eſt. A quo cum quæreret Pyrrhus, *qualē Romam comperiſſet*: Cineas dixit, *regum ſe patriam vidiſſe. Scilicet tales illic fere omnes, qualis* 3) *unus Pyrrhus apud Epirum & reliquam Græciam putaretur.*

CAP. VIII.

MIſſi ſunt contra Pyrrhū duces P. Sulpicius & Decius Mus, conſules. Certamine commiſſo Pyrrhus vulneratus eſt, elephanti interfecti, xx millia cæſa hoſtium, & ex Romanis tantū quinq; millia. Pyrrhus fugatus. Jnteriecto anno, contra Pyrrhū Fabricius eſt miſſus: qui prius inter legatos 1) ſollicitari non poterat, quarta parte regni promiſſa. Tum, cum vicina caſtra ipſe & rex haberent, medicus Pyrrhi ad eum nocte venit, promittens

3) *unus Pyrrhus. Vnus* ſæpius non ſine elegantiſſima ſvavitate ponitur pro *ſolus*. conf. Nepot. XIII. 2. I. 1. &. 4.

1) *ſollicitari*, i. e. promiſſionibus & donis corrumpi. confer *indicem Latinitatis*.

2)

ſe veneno Pirrhũ occiſurum, ſi ſibi aliquid polliceretur. Quem Fabricius vinctum reduci juſſit ad dominum, Pyrrhoq; dici, quæ contra caput ejus medicus ſpopondiſſet. Tunc rex, admiratus eum, dixiſſe fertur: *Ille eſt Fabricius, qui difficilius ab honeſtate, quam ſol à curſu ſuo, averti poteſt.* Tunc rex in Siciliam profectus eſt: Fabricus, victis Sámnitibus & Lucanis, triumphavit. Coſs. deinde, Curius Dentatus, & Cornelius Lentulus, adverſum Pyrrhum miſſi ſunt: Curius contra eũ pugnavit; exercitum ejus cæcidit, ipſum Tarentum fugavit, caſtra cepit. Ea die cæſa hoſtiũ XXIII. millia. Curius in conſulatu 2) triumphavit. Primus

2) *triumphavit.* Non ijs, qui imperio extraordinario præclaras res geſſerant, ſed ijs, qui in magiſtratu accepto res triumpho geſſerant, triumphus ſolemnis decernebatur, conf. Valer. Maxim. II. 8. 5. & Liv. XXVIII. 38. Cautum etiam erat, ne quis, niſi dictator, aut conſul, aut prætor, triumpharet. Iis quoq; triumphi honos negatus fuit, qui non auxerant imperium, ſed amiſſa tantum recuperaverant. 3)

mus Romám 3) elephantos quatuor duxit. Pyrrhus etiam à Tarento mox receſſit, & apud Argos, Græciæ civitatem, occiſus eſt.

CAP. IX.

C. fabricio Luſcino, & C. Claudio Cĩna Coss. anno urbis conditæ CCCCLXI. legati Alexandrini, à Ptolomæo miſſi, Romam venêre, & à Romanis amicitiã, quam petierant, obtinuerunt. Quintio Gulone, C. Fabio Pictore Coss. Picentes bellum commovêre, & ab insequentibus Coss. P. Sempronio, Appio Claudio, victi ſunt; & de his triumphatũ eſt. Conditæ à Romanis civitates, Arminiũ in Gallia, & Beneventum in Samnio. M. Attilio Regulo, L. Junio Libone Coss. Salentinis

3) *elephantos.* Tum Roma primum vidit elephantos: poſtea vero bello Philippico, P. Sulpitio Galba & C. Aurelio Cotta conſulibus, Romani elephantos in prœlium eduxerunt, & non multo poſt collocare eos cœperunt ante aciem, ad perturbandos diſſipandosq; exercitus hoſtilis ordines. Conf. *Claudij Salmaſij* cap. XIII. *de re milit. Roman.*

bellum indictũ est: captiq; sunt cum civitate simul Brundusini, & de his triumphatum est.

CAP. X.

ANno CCCCLXXVII, cum jam clarum urbis Romæ nomen esset, arma tamen extra Italiam mota non fuerunt. Ut igitur cognosceretur, quæ copiæ Romanorũ essent, census est habitus: inventa sunt civium capita CCXCII. millia, CCCXXXIV: quanquam à condita urbe nunquam bella cessassent. Et contra Afros bellũ susceptum est primum, Appio Claudio, Q. Fulvio Coss. Jn Sicilia contra eos pugnatũ est, & Appius Claudius de Afris & rege Siciliæ Hierone triumphavit. In sequenti anno, Valerio Marco & Otacilio Coss. in Sicilia à Romanis res magnæ gestæ sunt. Taurominitani, Catanenses, & præterea quinquaginta civitates in fidem acceptæ sunt. Tertio anno

anno in Sicilia contra Hieronem bellum paratum eſt. Js cum omni nobilitate Syracuſanorum pacē a Romanis impertravit, deditq; argenti 1) talenta ducenta. Afri in Sicilia victi ſunt, & de his ſecundo Romæ triumphatū eſt. Quinto anno belli Punici, quod contra Afros gerebatur, primum Romani C. Duillo & Cn. Cornelio Aſina Coss. in mari dimicaverunt, paratis navibus roſtratis, quas 2) Liburnas vocant. Conſul Cornelius fraude deceptus eſt. Duillius commiſſo prœlio, Carthaginenſiū ducem vicit, XXXI. naves cepit, XIV. merſit: VII. millia hoſtium cepit: III. occidit. Neque ulla victoria Romanis gratior fuit, quod

1) *talenta*. Unum talentū accedit fere ad ducentos quinquaginta thaleros; ſecundum ſententiam eorum, qui ex recentioribus pondera & menſuras examinarunt. Vid. *Edvardi Bernardi* lib. *de menſuris*.

2) *Liburnas*. Naves *Liburnæ* ſive *Liburnicæ* fuerunt naves celeriores, teſte *Silio Ital.* XIII. 240. Liburni enim Ionium mare, & quæ in eo ſunt, inſulas prædabantur celeribus & levibus navigijs. 3)

quod invicti terra, jam etiam mari 3) plurimum possent. C. Aquilio Floro, L. Scipione Coss. Scipio Corsicam & Sardiniam vastavit, multa millia inde captivorum abduxit: triumphum egit.

CAP. XI.

L. Manlio Volsone, M. Attilio Regulo Coss. bellum in Africā translatum est: contra Hamilcarem, Carthaginensium ducē, in mari pugnatum, victusq; est. Nam perditis LXIV. navibus, 1) retro se recepit. Romani XXII. amiserunt. Sed cum in Africam transissent, primā Clypeam Africæ civitatem in deditionē acceperunt. Consules usq; ad Carthaginem processerunt, multisq; vastatis oppidis, Manlius

3) *plurimum possent.* Hirtius de B. Alex. cap. XII. *classe multum valerent.* Qui *plurimum posse,* dicitur, is magnam potentiam, magnas opes fertur habere, conf. Cæsar. de B.G. III. 9. Cicer. ep. IV. 13. & Nep. C. 3. VIII. 3.

1) *retro se recepit.* Oppius de B: Afr. cap. 50. *retro regressus est.*

2) *aci-*

lius victor Romam redijt, & XXVII. millia captivorũ reduxit: Attilius Regulus in Africa remansit. Is contra Afros 2) aciem instruxit, contra tres Carthaginiensiũ duces dimicans victor fuit, XVIII. millia hostium cæcidit, quinq; millia cum XVIII. elephantis cepit, LXXIII. civitates in fidem accepit. Tum victi Carthaginienses pacem à Romanis petierunt: quam cum Regulus nollet nisi durissimis conditionibus dare, Afri auxilium à Lacedæmonijs petierunt: & duce Xantippo, qui à Lacedæmonijs missus fuerat, Romanorũ dux Regulus victus est ultima pernicie. Nam duo millia tantũ ex omni

2) *aciem instruxit.* Iustinus XI. 9. *aciem ordinavit* Aciei instituendæ rationem commonstrat *Claud. Salmasius* cap. VIII. & X. *de re mil. Rom.* nec non *Cantelius* p. 211. lib. *de rep. Rom.* Quoties exercitus fuit quatuor legionum; ita ut duæ Romanorum fuerint, duæ sociorum; sic instructa acies est: legiones Romanæ in media acie collocabantur: duæ sociorum in cornibus, una in dextro, altera in sinistro. Equites in turmas descripti ita disponebantur ad latera, ut Romani dextrum cornu regerent, sinistrum socij.

omni Romano exercitu refugerunt; quindecim millia cum imperatore Regulo capta ſunt: xxx. millia occiſa; Regulus ipſe in 3) catenas coniectus.

CAP. XII.

M. Æmilio Paulo, Servio Fulvio Nobiliore Coss. ambo Romani conſules ad Africam profecti ſunt cū trecentarum navium claſſe: primum Afros navali certamine ſuperant. Æmilius conſul CIV. naves hoſtium demerſit: xxx. cum pugnatoribus cepit: xv. millia aut occidit, aut cepit: militem ſuum ingenti præda 1) ditavit. Et ſubacta tum fuiſſet, niſi tanta fames fuiſſet, ut diutius exſpectare exercitus non poſſet. Conſules, cum victrici claſſe redeuntes, circa Siciliam naufragium paſſi ſunt: & tanta tempeſtas fuit, ut ex quadringentis ſexaginta quatuor navibus, octoginta ſervari vix po-

3) *catenas.* Nepos I. 7. *in vincula coniectus eſt.*
1) *ditavit* Cornel. Nep. VII. 7. XVII. 3. *exercitū præda locupletavit.*

potuerint. Neq; ullo tempore tanta maritima tempestas audita est. Romani tamen statim ducentas naves reparaverunt; neq; in aliquo animus his 2) infractus fuit.

CAP. XIII.

CN. Servilius Cepio, & Sempronius Blæsus Coss. cum ducentis sexaginta navibus ad Africam profecti sunt, aliquot civitates ceperunt: prædam ingentem reducentes, naufragium passi sunt. Itaq; cũ continuæ calamitates Romanis displicerent, decrevit Senatus, ut à maritimis prœlijs recederetur, & tantum sexaginta naves ad præsidium Italiæ salvæ essent. L. Cælio Metello, C. Furio Placido Coss. Metellus in Sicilia Afrorum ducum, cum cxxx. elephantis & magnis copijs venien-

2) *infractus.* Hoc loco *infractus* idem est quod *fractus*; sicut *Sulp. Sev. hist. sacr.* lib. 1. cap. 25. §. 4. p. 80. editionis Vorstianæ, quæ Lipsiæ 1709. 8. prodijt; & *Vell. Paterc.* II. 37. 1.)

nientem, ſuperavit, xx. millia hoſtium cæcidit, xxvi. elephantos cepit, reliquos errantes per Numidas, quos in auxilium habebat, collegit, & Romã reduxit ingenti pompa, cum cxxx. elephantorum numerus 1) omnia itinera compleret.

CAP. XIV.

POſt hæc mala Carthaginienſes Regugulum ducem, quē ceperant, petierunt, ut Romã proficiſceretur, & pacem à Romanis obtineret, ac permutationem captivorum faceret. Jlle Romam cum veniſſet, inductus in ſenenatum, nihil quaſi Romanus egit: dixitq́ꝫ, *ſe ex illa die, quam in poteſtatem Afrorum veniſſet. Romanum eſſe deſiiſſe.* Jtaq́ꝫ & uxorem a complexu removit, & Romanis ſvaſit, ne pax cum Pœnis fie-

1) *omnia itinera*, h. e. omnes vias. *Item* non ſolum actum eundi & iter faciendi, ſed etiã *viam*, qua itur, ſignificat Ita pariter loquuntur Livius I. 28. Corn. Nepos XVIII. 3. conf. *Joan. Vorſtij* lib. *de Latinitate ſelecta*. p. 30.

fieret: *illos enim* 1) *fractos tot casibus, spem nullam habere: tanti non esse, ut tot millia captivorum propter unum se, & senem, & paucos, qui ex Romanis capti fuerant, redderentur.* 2) Itaq; obtinuit, nam Afros pacem petentes nullus admisit: ipse Carthaginem redijt; offerentibus Romanis, ut eum Romæ tenerent, negavit se in ea urbe mansurum, in qua, postquā Afris servierat, dignitatem honesti civis habere non posset. Regressus igitur ad Africam, omnibus supplicijs 3) exstinctus est.

CAP. XV.

P. Claudio Pulcro & C. Junio Coss. Claudius contra 1) auspicia pugnavit,

---

1) *fractos*, h. e. debilitatos tot casibus.
2) *itaq; obtinuit*, h. e. & ita adeptus est, quæ impetrare contendit. conf. Nep. XXV. 11. & Terent. Andr. III. 3. 18.
3) *extinctus est* h. l. idem, quot interfectus est. Tacitus hist. IV. 11. *fuso per venas sangvine exstinctus est* Calpurnius Galerianus.
1) *auspicia.* Hoc in loco auspicia sunt divinationes auspicum, qui ex observatione cantus volatusq; avium de rerum futurarum eventu consulentibus respondebant.

vit, & à Carthaginensib9 victus est. Nã ex CCXX. navibus cum XXX. fugit, nonaginta cum pugnatoribus captæ sunt; demersæ ceteræ. 2) Alius quoq; consul classem naufragio amisit: exercitum tamen salvum habuit, quia vicina littora erant.

CAP. XVI.

G. Lutatio Catulo, A. Pustumio Albino Coss. anno belli Punici XXIII. Catulo bellum contra Afros commissum est. Profectus est cum CCC. navibus in Siciliam; Afri contra ipsum CCCC. paraverunt. Nunquam in mari tantis copijs pugnatum est. Lutatius Catulus navem æger adscendit: vulneratus enim in pugna superiore fuerat. Contra Lilybæum, civitatem Siciliæ, pugnatum est ingenti virtute Romanorum. Nam LXXIII. Carthaginensi-

2) *Alius consul* hoc in loco ponitur pro *alter consul*, ex more ævi posterioris Latinitatis conf. L. Appuleij *lib. V. metamorph.* & Pauli Orosij *hist. III.* 9.

nensium naves captæ sunt, cxxv. demersæ, xxxii. millia hostium capta, xiii. occisa: infinitum auri argentiq; pondus in potestatem Romanorum redactum. Ex classe Romanorum xii. naves demersæ, pugnatum est vi. idus Martias. Statim Carthaginenses pacem petierunt: 1) tributa est eis pax; captivi Romanorum, qui tenebantur à Carthaginiensibus, redditi sunt. Etiam Carthaginienses petierunt, ut redimi eos captivos liceret, quos ex Afris Romani tenebant. Senatus jussit sine pretio dari eos, qui in publica custodia essent; Qui autem à privatis tenerentur, ut pretio dominis reddito Carthaginem redirent: atq; id pretium ex fisco magis, quam à Carthaginiensibus, solveretur. Q. Lutatius, A. Manlius Coss. creati bellum Faliscis intulerunt, quæ civi-

1) *tributa est.* Is *pacem tribuit* alteri, qui cum illo, qui pacem petijt, pacem facit propositis seu potius præscriptis conditionibus conf. Iustin. XXIV. 5.

civitas Italiæ opulenta quondam fuit: quod ambo Coss. intra ſex dies, 2) quam venerant, 3) tranſegerunt, xv. millibus hoſtium cæſis: ceteris pace conceſſa, agro tamen ex 4) medietate ſublato.

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

FInito igitur Punico bello, quod 1) per XXIII. annos 2) tractum eſt, Romani jam clariſſima gloria noti, legatos

2) *quam venerant.* *Quam* h. l. ponitur pro *poſtquam*. Sic Nepos III. 1. 5. *ſexto fere anno,* inquit, *quam erat expulſus*. Conf. Vell. Paterc. II. 80.

3) *tranſegerunt.* *Bellum tranſigere* eſt bellum ad finem perducere, illudq; componere.

4) *medietate.* Hanc vocem ex *Pallidij* I. 12. & Ciceronis *cap. VIII. de univ.* infra in *indice Latinitatis* vindicatam invenies, lector.

1) *per XIII. annos.* Nominibus certum temporis ſpatiū ſignificantibus eleganter præponitur *per* particula; id quod elucet ex Eutropij l. 9. 10. & 1. Sic Cicero ep. II. 18. *quos video,* inquit, *deinceps tribunos plebis per triennium fore.*

2) *tractum eſt.* Bellum trahere eſt bellum per moram & cunctando gerere. Ita pariter loqvuntur Tacitus annal. XV. 10. Curtius III. 8. Vell. Paterculus II. 52. & Livius IV. 18.

gatos ad Ptolomæum Ægypti regem miserunt, auxilia promittentes, quia Rex Syriæ Antiochus ei bellum intulerat. Jlle gratias Romanis egit: auxilia non accepit: jam enim fuerat pugna transacta. Eodem tempore potentissimus Rex Siciliæ Hiero Romam venit ad ludos spectandos, & ducenta millia modiorum tritici populo dono dedit. L. Cornelio Lentulo, Fulvio Flacco Coss. quibus Hiero Romam venerat, etiam contra Ligures intra Jtaliam bellum gestum est, & de his triumphatum. Carthaginienses tum bellũ reparare tentabant: Sardinienses, qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad rebellandũ impellentes. Venit tamen legatio Carthaginiensium Romam, & pacem impetravit. T. Manlio Torquato, C. Atti!io, Balbo Coss. de Sardis triumpha-

phatum eſt: & pace omnibus locis facta, Romani nullum bellum habuerunt, quod his poſt Romam conditam ſemel tantum, Numa Pompilio regnante, contigerat. L. Puſtumius Albinus, Cn. Fulvius Centumalus Coss. bellum contrá Jllyrios geſſerunt: & multis ciuitatibus captis etiam reges in deditionem acceperunt: ac tum primum 3) de Jllyrijs triumphatum eſt.

CAP. II.

L. Æmilio Cos. ingentes Gallorum copiæ Alpes tranſierunt. Sed pro Romanis tota Jtalia conſenſit: traditũq; eſt à Fabio hiſtorico, qui ei bello interfuit. DCCC. millia hominum parata ad id bellum fuiſſe. Sed res per Cos. tum proſpere geſta eſt: XL. millia hoſtium interfecta ſunt, & 1) triumphus

3) *de Jllyriis triumphatum eſt* Hæc loquendi formula illuſtrata eſt in *indice Latinitatis*.

1) *triumphus Æmilio decretus*. Maximus honorum in urbe

phus Æmilio decretus. Aliquot deinde annis poſt, contra Gallos intra Italiam pugnatum eſt, finitumq́ eſt bellum M. Claudio Marcello. Cornelio Scipione Coss. Tunc parva 2) manu equitum dimicavit, & Regem Gallorum, Viridomarū nomine, manu 3) ſua occidit. Poſtea cum collega ingentes copias Gallorum peremit, Mediolanū expugnavit, 4) grandē prædam Romā pertulit, ac triumphans Marcellus ſpolia Galli, ſtipiti impoſita humeris ſuis vexit. M. Minucio, P. Cornelio Coss. Hiſtris bellū illatū eſt, quia latrocinati naves Romanorum fuerant, quæ fru-

Roma fuit triumphus, quem is ſenatus primum indicio dein populi juſſu conſequebatur, qui ſuis auſpicijs populi Romani hoſtes devicerat, provinciamq́ Romanorum ditioni ſubiecerat.

2) *manu.*, i. e. multitudine conf. Vell. Paterc. I. 3. II. 12. & Nep. X. 4. XIV. 6.

3) *ſua manu occidit.* Pure & eleganter dictum. Qui ſcribunt: *propria mánu*; à puritate ſtyli aberrant. Conf. Ciceronis ep. ad Atticum II. 23. & v. 13. Vid. C. *Cellarij*, ſummi viri, *Antibarbarus* p. m. 193. 194.

4) *grandem prædam.* Cicero ep. XIII. 61. *ejus filio pecuniam Nicæenſes grandem debeant.* conf. Iuſtin. XXV. 1.

menta exhibebant, perdomitiq; sunt omnes. CAP. III.

EOdem anno bellum Punicũ secundum Romanis illatum est per Annibalem Carthaginensium ducem, qui Saguntum, Hispaniæ civitatem, 1) Romanis amicam, oppugnare adgressus est, annũ agens vicesimũ ætatis, copijs congregatis CL. millium peditum & XX. millium equitum. Huic Romani per legatos denuntiaverunt, ut bello abstineret. Is legatis parere noluit. Romani etiam Carthaginem miserunt, ut mandaretur Annibali, ne bellum contra socios populi Romani gereret. Dura responsa àCarthaginiensibus reddita. Saguntini interea fame victi sunt; captiq; ab Annibale 2) ultimis pœnis ad-

1) *Romanis amicam.* Cum Romanis enim societate & fœdere juncta erat, Romanorumq; patrocinio ac præsidio fruebatur ex pacto.

2) *ultimis pœnis*, i.e. supplicijs. *Vltimum* enim hoc in loco, sicut sæpe alias, est, post quod aliud non est. conf. *Vorstij* lib. *de Latinitate selecta* p. m. 106.

adficiuntur. Tum P. Cornelius Scipio cum exercitu in Hiſpaniam profectus eſt: Tiberius Sempronius in Siciliam: bellum Carthaginenſibus indictum eſt.

CAP. IV.

ANnibal, relicto in Hiſpania fratre Asdrubale, Pyrenæum tranſiit; Alpes, adhuc ea parte invias, ſibi patefecit. Traditur ad Italiam LXXX. millia peditum, & XX. millia equitum; ſeptẽ & XXX. 1) elephantos adduxiſſe. Interea multi Ligures & Galli Annibali ſe junxerunt. Sẽpronius Gracchus, cognito ad Italiam Annibalis adventu è Sicilia, exercitum Ariminum trajecit. P. Cornelius Scipio Annibali primus occurrit, commiſſo prœlio, fugatis ſuis, ipſe vulneratus in caſtra redijt. Sempronius Gracchus & ipſe

1) *elephantos*. Interdum ante aciem elephanti collocabantur: interdum poſt exercitus terga locus illis datus eſt, ut, illis incepta pugna viam ſibi per ordines pan-

confligit apud Trebiam amnem. Is quoq; vincitur. Annibali multi se in Italia dediderunt. Inde ad Tusciã veniens Annibal Flaminio consuli occurrit; ipsum Flaminium interemit: Romanorum xxv. millia cæsa sunt; ceteri diffugerunt. Missus adversus Annibalem postea à Romanis Q. Fabius Maximus. Is eum, differendo pugnã, 2) ab impetu fregit; mox inventa occasione vicit.

CAP. V.

QUingentesimo & quadragesimo anno à condita urbe, L. Æmilius Paulus, P. Terentius Varro, contra Annibalem mittuntur, Fabioq; succedunt. Qui Fabius ambos Coss. monuit, ut Annibalem callidum & 1) impatientem ducem non aliter vincerent,

dentibus repentinus terror hostibus inijceretur.

2) *ab impetu fregit.* Duram hanc & insolitam loquendi formulam reieci *indice Latinitatis.*

1) *impatientem,* intellige *moræ:* celeritatem enim amabat in perficiendis ijs, quæ habebat in animo.

rent, quam prœlium differendo. Verum cum impatientia Varronis consulis, contradicēte consule altero, apud vicum, qui Cannæ apellatur, in Apulia pugnatum esset, ambo Coss. ab Annibale vincuntur. In ea pugna III. millia Afrorum pereunt, magna pars de exercitu Annibalis sauciatur. Nullo tamen Punico bello Romani gravius accepti sunt. Perijt enim in eo Æmilius Paulus consul: 2) consulares aut 3) prætorij xx. senatores capti aut occisi xxx: nobiles viri ccc, militum xl. equitum I I I. millia & quingenti. In quibus malis nemo tamen Romanorum pacis mentionem habere dignatus est. Servi, quod nunquam ante, manu missi & milites facti sunt.

2) *consulares.* Consularis erat, qui olim consulatum gesserat, tum vero non amplius erat in consulatu. conf. Ciceron. epist. XII. 4.

3) *prætorij.* Prætorius erat, qui olim prætoris munere functus fuerat, tum vero prætura abierat. conf. Ciceron. ep. VIII. 8. 21.

Cap. VI.

POst eam pugnam multæ Italiæ civitates, quæ Romanis paruerunt, se ad Annibalem 1) transtulerunt. Annibal Romanis obtulit, ut captivos redimerent, responsumq; est à senatu, eos cives non esse necessarios, qui, cum armati essent, capi potuissent. Jlle omnes postea varijs supplicijs interfecit, & tres modios 2) aureorum annulorum Carthaginem misit, quos è manibus equitū Romanorum, senatorum & militum detraxerat. Jnterea in Hispania, ubi frater Annibalis Asdrubal remanserat cum magno exercitu, ut eam totam Afris subigeret, à duobus Scipio-

1) *transtulerunt*, i.e. ad Hannibalis partes transierunt, seq; ad amicitiam ejus adgregarunt, ut loquitur Cæsar de B. G. VI. 12.

2) *aureorum annulorum.* Annulos aureos puculiare equitū & senatorum ornamentum fuisse, ostendit Lipsius in libro utilissimo *de militia Romana*, confer Tacit. hist, II. 57. & *Fort. Licet. de annulis antiquorum* cap. 16. Milites e quorum manibus annulos detractos fuisse perhibet Eutropius, fuerunt tribuni militum, aut equestris ordinis juvenes pro militibus excubias agentes.

pionibus, Romanis ducibus, vincitur, perditq; in pugna xxxv. millia hominum. Ex his capiuntur. X. millia; occiduntur xxv. Mittuntur ei à Carthaginiensib9 ad reparandas vires x i i. millia peditum, iv. millia equitum, xx. elephanti.

CAP. VII.

ANno quarto postquam in Italiam Annibal venit, M. Claudius Marcellus COS. apud Nolam, civitatem Campaniæ, contra Annibalem 1) bene pugnavit. Annibal multas civitates Romanorum per Apuliam, Calabriam, & Bruttios occupavit. Quo tempore etiam Rex Macedoniæ Philippus ad eum legatos misit, promittens auxilia contra Romanos sub conditione, ut deletis Romanis, ipse quoq; contra Græcos ab Annibale auxilia acciperet.

Ca

1) *bene pugnavit,* i. e. feliciter dimicavit; sicut Sulp. Sev. hist. sacr. II. 21. Contrarium *male pugnare* habet Iustinus XXXII. 3. conf. Nepot. I. 3. II. 5.

Captis igitur legatis Philippi, & recognita, Romani inMacedoniam M. Valerium Lævinum ire juſſerunt: in Sardiniam T. Manlium Torquatum 2) proconſulem. Nam etiam ea ſollicitata ab Annibale Romanos deſeruerat. Jta uno tempore quatuor locis pugnabatur: in Italia contra Annibalem; in Hiſpanijs contra fratrem ejus Asdrubalem; in Macedonia contra Philippum;in Sardinia contra Sardos, & alterum Asdrubalem Carthaginienſem. Is a T. Manlio proconſule, qui ad Sardiniam miſſus fuerat, vivus eſt captus, occiſa cum eo XII. millia, capti mille quingenti, & à Romanis Sar-

---

2) *proconſulem*. Proconſules erant magiſtratus, qui mittebantur in provincias conſulares, quæ ſingulorum annorum conſulibus adſignabantur. conf. *Hottomanni* lib. *de magiſtratu Romano*. Ceterum diſputatio illa vana eſt, cum quæritur, utrum *proconſul* legendum ſit, an *pro conſule*? cum utraq; lectio apud optimos quosq; ſcriptores occurrat. Cum duodecim lictoribus hi proficiſcebantur in provincias: & præterea horum comitatus omnino nobilior, exercitus robuſtior & provincia clarior erat, quam proprætorum.

Sardinia ſubacta. Manlius victor captivos & Aſdrubalem Romam reportavit. Interea etiam Philippus à Lævino in Macedonia vincitur, & in Hiſpania à Scipionibus Asdrubal, & Mago, tertius frater Annibalis.

Cap. VIII.

DEcimo anno, poſtquam Annibal in Italiam venerat, P. Sulpicio, Cn. Fulvio Coss. Annibal uſq; ad quartũ milliarium urbis acceſſit; equites ejus uſq; ad portas. Mox conſulum metu, cum exercitu venientium, Annibal ad Campaniam ſe recepit. In Hiſpania à fratre ejus Asdrubale ambo Scipiones, qui per multos annos victores fuerant, interficiuntur; exercitus tamen integer manſit: caſu enim magis erant, quam virtute, decepti. Quo tempore etiam à conſule Marcello Siciliæ magna pars capta eſt, quam tenere Afri cœperant: ex nobiliſſima urbe Syracuſana

ſana præda ingens Romam perlata eſt. Lævius in Macedonia cum Philippo, & multis Græciæ populis, & rege Aſiæ Attalo amicitiam fecit: & ad Siciliam profectus, Annonem quendam, Afrorum ducem, apud Agrigentum civitatem, cum ipſo oppido cepit, eumq; Romã cum captivis nobilibus miſit: XL. civitates in deditionem accepit, XXVI. expugnavit. Ita omni Sicilia 1) recepta, Macedonia 2) fracta, ingenti gloria Romam regreſſus eſt. Annibal in Italia Cn. Fulvium conſulem ſubito adgreſſus, cum octo millibus hominum interfecit.

Cap. IX.

INterea ad Hiſpanias, ubi occiſis duobus Scipionibus nullus Romanus dux erat, P. Cornelius Scipio mittitur, filius

---

1) *recepta*, i. e. recuperata. Ita pariter loquitur Nepos VII. 5.

2) *fracta*, i. e. debilitata, eiusq; opibus imminutis eaq; deniq; ſubacta. Ita pariter loquuntur Vell. Paterculus I. 12. & Iuſtinus XXXIV. 1.

filius P. Scipionis, qui ibidem bellum gesserat, annos natus quatuor & viginti; vir Romanorum omnium & sua ætate, & posteriori tempore fere 1) primus. Is Carthaginem Hispaniæ capit; in qua omne aurum, & argentū, & belli adparatū Afri habebant; nobilissimos quoq; obsides, quos ab Hispanijs acceperant: Magonem etiam fratrem Annibalis ibidem capit, quem Romam cum alijs mittit. Romæ ingens lætitia post hunc nuntiū fuit. Scipio Hispanorum obsides parentibus reddidit. Quare omnes fere Hispani ad eum uno animo transierunt. Post quæ Asdrubalem, Annibalis fratrem, victum fugat, & prædam maximam capit. Interea in Italia Cos. Q. Fabius Maximus Tarentum capit, in qua ingentes 2) copiæ Annibalis erant.

Ibi

1) *primus*, i. e. princeps. Ita pariter loquuntur Nepos XI. 1. Cæsar de B.G. II. 3. & Tacitus annal. XIII. 48.
2) *copiæ*, i. e. opes, divitiæ, & commeatus. Sub copia-

Ibi etiam ducem Annibalis Carthalonem occidit, xxv. millia captivorum vendidit, prædam militibus dispertivit pecuniã hominum venditorum ad fiscum retulit. Tum multæ civitates Romanorum quæ ad Annibalem transierant, rursus se Fabio Maximo dediderunt.

CAP. X.

INsequenti anno Scipio in Hispania egregias res egit, & per se, & per fratrem suum L. Scipionem: LXX. civitates recepit. Jn Italia tamen 1) male pugnatum est. Nam Claudius Marcellus Cos. ab Annibale occisus est. Tertio anno, postquam Scipio ad Hispaniam profectus est, rursus res inclytas gerit: regem Hispaniarum, magno prœlio victum, in amicitiam accepit, &

rum nomine sæpe etiam commeatum: pecuniam, & quidquid ad victum pertinet, significari, ostendit *Jo Vorstius* p. 8. & 9. libelli *de Latinit. selecta.* confer. Tacit. annal. l. 68. XV. 16. & hist. III. 60-

1) *male*, i. e. infeliciter *pugnatum est*. Ita pariter loquitur Iustinus XXXII. 3. nec non Nepos XI. 1.

& primus omnium à victo obſides non popoſcit. Deſperans Annibal Hiſpanias contra Scipionem ducem diutius poſſe retineri, fratrem ſuum Asdrubalem in Italiam cum omnibus copijs evocavit. Is veniens 2) eodem itinere, quo etiam Annibal venerat, à conſulibus Appio Alaudio Nerone, & M. Livia Salinatore apud Senam, Piceni civitatem, in inſidias 3) compoſitas incidit: ſtrenue tamen pugnans occiſus eſt, ingentes ejus copiæ captæ aut interfectæ ſunt, magnum pondus auri atq; argenti Romam relatum. Poſt hæc Annibal diffidere de belli cœpit eventu; Romanis ingens 4) animus acceſſit. Jtaq; & ipſi evocaverunt ex Hiſpania P. Cornelium Scipionem.

Js

2) *eodem itinere*, i. e. eadem via. conf. Liv. I. 28. Nep. XXIII. 3.

3) *compoſitas*. Tacitus V. 22. *animadverſum id*, inquit, *Germanis*, & *inſidias compoſuere*.

4) *animus acceſſit*. Iuſtinus I. 6. *ingens*, inquit, *animus exercitui ejus acceſſit*. conf. Nep. I. 4.

Js Romã cum ingenti gloria venit. Q. Cæcilio, L. Valerio Coss. omnes civitates, quæ in Brutijs ab Annibale tenebantur, Romanis ſe tradiderunt.

CAP. XI.

ANno XIV. poſtquam in Italiã Annibal venerat, Scipio conſul eſt factus, & in Africam miſſus. Cui viro divinum quiddam ineſſe exiſtimabatur, adeo, ut putaretur etiam cum numinibus habere ſermonem. Is in Africa contra Annonem ducem Afrorum pugnavit, exercitum ejus interfecit; ſecundo prœlio caſtra capit, cum quatuor millibus & quingentis militibus, XI. millibus occiſis. Syphacem Numidiæ Regem, qui ſe Afris conjunxerat, capit, & caſtra ejus invadit. Syphax cum nobiliſſimis Numidis, & infinitis ſpolijs, Romam ab Scipione mittitur. Qua re audita, 1) omnis fere Ita-

1) *omnis fere Italia*, i. e. tota fere Italia. Ita pariter loquuntur Cæſar de B. G. I. 1. Nepos XXIII. 3.

Italia Annibalem deserit. Ipse à Carthaginiensibus redire in Africam jubetur, quam Scipio vastabat. Ita anno XVII. ab Annibale Italia liberata est.

Cap. XII.

Legati Carthaginiensium pacem à Scipione petierunt, ab eo ad senatũ Romam missi sunt; quadraginta & quinq; 1) diebus induciæ datæ sunt, quousq; Romam ire & regredi possent, & XXX. millia pondo argenti ab his accepta sunt. Senatus ex arbitrio Scipionis pacem jussit cũ Carthaginiensibus fieri. Scipio his conditionibus dedit, *ne amplius, quam XXX. naves, haberent, D. millia pondo argenti darent; captivos, & perfugas redderent.* Interim Annibale veniente ad Africam 2) pax turbata est, multa hostilia ab Afris

---

1) *diebus.* Nomina *temporum, mensuræ & spatij*, respondentia quæstioni *quamdiu* ? sæpe ponuntur in casu sexto. Confer Ioachimi Langij Grammat. p. m. 170.

2) *pax turbata est.* Eadem locutio placuit Tacito hist. IV. 22.

Afris facta sunt; legati tamen eorum, ex urbe venientes, à Romanis capti sunt, & jubente Scipione, dimissi. Annibal quoq; frequentibus prœlijs victus à Scipione, petit etiam ipse pacem. Cum ventum esset ad colloquiũ, ijsdem conditionibus data est, quibus prius; addita quingentis millibus pondo argenti C. millia librarum propter novam perfidiam. Carthaginiensibus conditiones displicuerunt, jusseruntq; Annibalem pugnare: infertur à Scipione, & Masinissa, alio rege Numidarum, qui amicitiam cum Scipione fecerat, Carthagini bellum.

CAP. XIII.

ANnibal tres exploratores ad Scipionis castra misit: quos captos Scipio circumduci per castra jussit, ostendiq; eis totum exercitum; mox etiam prandium dari, dimittiq;: ut renunciarent Annibali, quæ apud Romanos vidissent.

vidiſſent. Interea prœlium ab utroq; duce inſtructum eſt, quale vix 1) ulla memoria fuit, cum peritiſſimi viri copias ſuas ad bellum educerent. Scipio victor recedit, pene ipſo Annibale capto: qui primum cum multis equitibus, deinde cũ xx. poſtremo cũ quatuor evaſit. Jnventa in caſtris Annibalis argenti pondo xx. millia, auri LXXX. cetera ſupellectilia copioſa. Poſt id certamen pax cum Carthaginienſibus facta eſt. Scipio Romam redijt, ingenti gloria 2) triumphavit, atque Africanus ex eo adpellari cœptus eſt. Finem accepit ſecundum Punicum bellum, poſt annum nonum decimum, 3) quam cœperat.

E LI-

---

1) *ulla memoria,* i. e. ullo tempore. Nepos II. 10. *Hujus ad noſtram memoriam,* i. e. uſq; ad noſtra tempora, *monumenta manſerunt duo.*

2) *triumphavit.* Triumphi pompam accurate deſcribit *Cantelius* p. 219. lib. *de rep. Rom.*

3) *quam cœperat.* Nepos III. 3. *Deceſſit poſt annũ quintum, quam Themiſtocles erat expulſus.*

LIBER QUARTUS.

CAP. I.

TRansacto Punico bello, secutum est Macedonicum contra Philippum regem. Quingentesimo & quinquagesimo primo anno ab urbe condita T. Quintus Flaminius adversus Philippũ regem mittitur: prospere rem gessit. Pax ei data est his legibus, *ne Græciæ civitatibus, quas Romani contra eum defenderant, bellum inferret: ut captivos & transfugas redderet; quinquaginta solum naves haberet: reliquas Romanis daret; per annos decem quaterna millia pondo argenti præstaret, & obsidem daret filium suum Demetrium.* T. Quintius etiam Lacedæmonijs intulit bellum; 1) ducem eorum Nabidem vicit: & quibus voluit conditionibus, in fidem

1) *ducem eorum*, i. e. eorum tyrannum. Ita passim Livius loquitur. conf. editio Eutropii in usum Delphini confecta p. 42.

dem accepit. Jngenti gloria duxit 2) ante currum nobiliſſimos obſides, Demetrium Philippi filium, & Armenem Nabidis.

CAP. II.

TRanſacto bello Macedonico, ſecutum eſt SYRYACUM contra Antiochū regem, P. Cornelio Scipione, M. Acilio Glabrione Coss. Huic Antiocho Annibal ſe junxerat; Carthaginem, patriam ſuam, metu, ne Romanis traderetur, relinquens. M. Acilius Glabrio in Achaia pugnavit bene: caſtra regis Antiochi nocturna pugna capta ſunt: ipſe fugatus: Philippo, quia contra Antiochum Romanis auxilio fuiſſet, filius Demetrius redditus eſt. L. Cornelio Scipione, C. Lælio Coss. Scipio Africanus fratri ſuo L. Cornelio Scipioni conſuli legatus contra Antiochū

2) *ante currum*, nimirum *triumphalem*. Curruum triumphalium elegantem deſcriptionem exhibet *Samuel Pitiſcus* tom. I. *Lexic. Ant. Rom.* pag. 616. & 617.

auxilio profectus est. Annibal, qui cum Antiocho erat, navali prælio victus est. Ipse postea Antiochus circa Magnesiam ad Sipylum, Asiæ civitatem, à Cos. Cornelio Scipione ingenti prælio 1) fusus est. Auxilio fuit Romanis in ea pugna Eumenes, Attali regis frater, qui Eumeniam in Phrygia condidit. L. millia peditum, III. equitum eo certamine ex parte regis occisa sunt. Tum rex Antiochus pacē petit: ijsdem conditionibus datur à senatu, quanquam victo, quibus ante offerebatur; ut ex Europa & Asia recederet, atq; intra Taurum se contineret, X. millia talentorum, & XX. obsides præberet, Annibalem 2) concitatorem belli dederet. Eumeni regi donatæ sunt omnes Asiæ civitates, quas Antiochus bello

1) *fusus est*, i. e. prostratus est. Ita pariter loquuntur Curtius IV. 16. & Iustinus I. 7. & VII. 2.

2) *concitatorem* i. e. auctorem *belli*. Eadem locutione usi sunt Cicero ep. XV. 4. Tacitus hist. III. 2. Cæsar de B. G. VIII. 38. Nepos XXII. 4.

bello perdiderat: & Rhodijs, qui auxilium Romanis contra regem Antiochum tulerant, multæ urbes concessæ sunt. Scipio Romam redijt, ingenti gloria triumphavit: nomen & ipse, ad imitationem fratris, Asiatici accepit, (quia Asiam vicerat: sicut frater ipsius propter Africam 3) domitam Africanus adpellebatur.) Spurio Postumio Albino, Q. Martio Philippo Coos. M. Fuluius de ÆTOLIS triumphavit. Annibal, qui victo Antiocho, ne Romanis traderetur, ad Prusiam, Bithyniæ regem, fugerat, repetitus etiam ab eo per T. Quintium Flaminium: & cum tradendus Romanis esset, 4) venenum bibit, & apud Libyssam, in finibus Nicomediensium, sepultus est.

3) *domitam*, i.e. subactam conf. Curt. V. 1. Iustin. XLI. 5.
4) *venenum bibit*. Tacitus annal. XIV. 37. *vitam veneno finivit*; XVI. 14. *hausit venenum*. Nepos II. 10. *sumsit venenum*.

CAP. III.

PHilippo rege Macedoniæ mortuo, qui & adverſum Romanos bellum geſſerat, & poſtea Romanis contra Antiochum auxilium tulerat, filius ejus PERSEUS in Macedonia rebellavit, ingentibus copijs ad bellum paratis. Nam adjutores habebat 1) Cotym Thraciæ regem, Jllyrici regem, Gentium nomine: Romanis autem in auxiliũ erant Eumenes Aſiæ rex, Ariathes Cappadociæ, Antiochus Syriæ, Ptolemæus Ægypti, Maſiniſſa Numidiæ. Pruſias autem Bithyniæ, quanquam ſororem Perſei uxorem haberet, utriſq; ſe æquum præbuit. Dux Romanorum P. Licinius Cos. contra eum miſſus, & à rege gravi prœlio victus. Neq; tamen Romani, quanquam ſuperati, regi petenti pacem præſtare voluerunt, niſi his conditionibus; *ut ſe & ſuos*

1) *Cotym.* Scribitur *Cotus* & *Cotys*. conf. Nep. XI. 3. & *Cellarij* ad iſtum locum adnotationes.

suos senatui & populo Rom. dederet. Mox missus contra eum L. Æmilius Paulus Cos. & in Jllyricum C. Anicius 2) prætor contra Gentium. Sed Gentius, facile uno prœlio victus, mox se dedidit. Mater ejus, & uxor, & duo filij, frater quoq; ejus, simul in potestatem Romanorum venerunt. Jta bello intra XXX. dies perfecto, ante cognitum est Gentium esse victū, quam cœptum bellum nuntiaretur.

CAP. IV.

CUm Perseo autem Æmilius Paulus Cos. III. Non. Septembris dimicavit, vicitq; eum, XX. millibus peditum ejus occisis. Equitatus cum rege fugit integer. Romanorum C. milites amissi sunt: urbes Macedoniæ omnes, quas rex tenuerat, Romanis se dediderunt.

2) *prætor.* Prætorum in provincijs munera erant: jus dicere secundum leges, socios defendere, perduelles reprimere, ducere exercitum, gerere bellum, exigere vectigalia; castra, vias & opera publica munire.

runt. Ipſe rex, cum deſereretur ab amicis, venit in Pauli poteſtatem. Sed honorem ei Æmilius, non quaſi victo, habuit: nam & volentem ad pedes ſibi cadere non permiſit, ſed juxta ſe in ſella collocavit. Macedonibus & Illyrijs hæ leges à Romanis datæ, *ut liberi eſſent, & dimidium eorum tributorum præſtarent, quæ regibus præſtitiſſent:* ut adpareret populum Rom. pro æquitate magis, quam avaritia, dimicare. Atq; in conventu finitimorum populorum Paulus hæc pronunciavit, & legationes multarū gentium, quæ ad eum venerant, magnificentiſſime convivio pavit, dicens: ejuſdem hominis eſſe debere, & bello vincere, & convivij adparatu elegantem eſſe. Mox LXX. civitates Epiri, quæ rebellaverant, cepit: prædam militibus diſtribuit: Romā cum ingenti pompa redijt in nave Perſei, quæ inuſitatæ magnitudi-

tudinis fuisse traditur, adeo ut XVI. ordines dicatur habuisse remorum. 1) Triumphavit magnificentissime in curru 2) aureo, cum duobus filijs, utroque latere adstantibus. Ducti sunt ante currum duo regis filij, & ipse Perseus, XLV. annos natus. Post eum etiam C. Anicius de Jllyrijs triumphavit. Gentius cum fratre & filijs ante currũ ductus est. Ad hoc spectaculum

---

1) *triumphavit.* Triumphi apud Romanos hæc pompa fuit. Imperatoris currum præcedebant tubicines, vel classicum canentes vel modos triumphales, post mactandi boves, vittis redimiti & sertis: deinde rapta spolia, signa, tabulæ, vasa, pocula, arma, aurum argentumq́, domitarum gentium tituli, victarumq́ urbium imagines: tum capti hostium duces, principes ac reges vincti catenis: postea imperator in alto sedens curru, veste triumphali insignis, coronatus lauro, lauriq́ ramum manu protendens, interdum cervis, interdum leonibus, interdum elephantis, sæpius quadrigis albis vehebatur. Currum triumphalem sequebantur victoris liberi, cognati & adfines, una cum exercitu victore triumphalia cantante carmina virtutisque insignia ostentante.

2) *aureo.* Aurei currus nomine *inauratum* indicari, ostendit *Joannes Schefferus* in egregio libro *de re vehiculari.* Currum triumphalem cum conscendere vellet victor, hunc in modum precæbatur: *Dij, quorum nutu & imperio nata & aucta est res Romana, eandem placati propitiatique servate.*

lum multarum gentium reges Romã venerunt. Jnter alios etiam venit Attalus, atq; Eumenes, Asiæ reges: atq; Prusias Bithyniæ. Magno honore accepti sunt: permittente senatu, dona, quæ attulerant, in Capitolio posuerunt. Prusias etiam filium suum Nicomedã senatui commendavit. Jnsequenti anno L. Memmius in Lusitania bene pugnavit: Marcellus postea consul res ibidem prospere gessit.

CAP. V.

TERTIUM deinde BELLUM CONTRA CARTHAGINEM suscipitur, sexcentisimo & altero anno ab urbe condita, L. Manlio Censorino, & M. Manilio Coss. anno LI. postquam secundũ Punicum bellũ transactum erat. Hi profecti Carthaginẽ oppugnaverunt. Contra eos Asdrubal, dux Carthaginiensiũ, dimicabat. Famea, dux alius, equitatui præerát Cartha-

thaginiensium. Scipio tunc, Scipionis Africani nepos, 1) tribunus ibi militabat. Hujus apud omnes ingens metus & reverentia erat: nam & paratissimus ad dimicandũ & consultissimus habebatur. Jtaq; per eum multa prospere à Coss. gesta sunt. Nec quidquam magis vel Asdrubal, vel Famea vitabant, quam contra eam Romanorũ partem 2) committere, ubi Scipio dimicabat. Per idem tempus Masinissa, rex Numidarum, per annos sexaginta fere amicus populi Romani, anno vitæ XCVII. mortuus est, XLIV. filijs relictis. Scipionem divisorem regni inter filios esse jussit. Cum igitur clarum

1) *tribunus.* Tribuni militum a Romulo primum sunt creati. *Postea* partim a populo partim a consulibus legebantur: & usus ille obtinuit, ut nemo eligeretur tribunus, nisi qui dimidiata confecerat stipendia; quæ equiti dena præscripta erant, pediti vicena.

2) *committere. Committere* hoc loco & infra V. 4. IX. 15. simpliciter ponitur pro *prœlium committere*; quam lectionem etiam exhibet editio *Aldina*; at *Tanaquillus Faber* ejusq; filia *Anna* in editionibus suis verbo *committere* præposuerunt pugnam.

rum Scipionis nomen eſſet, juvenis adhuc Cos. eſt factus & contra Carthaginem miſſus. Is eam cepit ac diruit. Spolia ibi inventa, quæ variarum civitatū excidijs Carthago collegerat: & ornamenta urbiū civitatibus Siciliæ. Italiæ, Africæ reddidit, quæ ſua recognoſcebant. Ita Carthago ſeptingenteſimo anno, quam condita erat, deleta eſt. Scipio nomen, quod avus ejus acceperat, meruit, ſcilicet ut propter virtutem etiam ipſe Africanus junior vocaretur.

CAP. VI.

INterim in Macedonia quidā PSEUDOPHILIPPUS arma movit, & Romanū prætorem, P. Iuvenciū, contra ſe miſſum, 1) ad internecionē vicit. Poſt eum Q. Cæcilius Metellus dux à Romanis contra Pſeudophilippū miſ-

1) *ad internecionem vicit*, i. e. funditus delevit. Ita pariter loquuntur Nepos XVIII. 3. Cæſar de B. G. I. 13. & Hirtius de B. Afr. cap. 52.

missus est, & XXV. millibus ex militibus ejus occisis, Macedoniam 2) recepit: ipsum etiam Pseudophilippũ in potestatem suam redegit. CORINTHIIS quoq; bellũ indictum est, nobilissimae Graeciae civitati, propter 3) injuriam legatorũ Romanorum. Hanc Mummius cepit ac diruit. Tres igitur Romae simul celeberrimi triumphi fuerunt: Africani ex Africa, ante cujus currũ ductus est Asdrubal: Metelli ex Mecedonia, currũ praecessit Andriscus, qui & Pseudophilippus dicitur: Mummij ex Corintho, ante quem signa aenea, & pictae tabulae & alia urbis clarissimae ornamenta praelata sunt.

CAP. VII.

ITerũ in Mecedonia PSEVDOPERSEUS, qui se Persei filiũ esse dicebat, collectis servis, rebellavit: & cũ sexde-

2) *recepit* i. e. recuperavit. conf. Iustin. V. 10.
3) *injuriam legatorum*, i. e. injuriam legatis illatam. Nepos IX. 5. *cum ultum se*, inquit, *injurias patriae putaret.*

ſexdecim armatorum millia haberet, à Tremellio 1) quæſtore ſuperatus eſt. Eodem tempore Metellus in Celtiberia apud Hiſpanos res egregias geſſit. Succeſſit ei Q. Pompejus, nec multo poſt Q. quoq; Cæpio ad idem bellū miſſus eſt, quod quidam VIRIATUS contra Romanos in Luſitania gerebat. Quo metu Viriatus à ſuis interfectus eſt, cum quatuordecim annis Hiſpanias adverſum Romanos 2) moviſſet. Paſtor primo fuit, mox latronū dux: Poſtremo tantos ad bellum populos concitavit, ut 3) adſertor, contra Roma-

---

1) *quæſtore.* Quæſturam nemo adeptus eſt, niſi qui viceſimum octavum ætatis attigerat, & decem annos ſtipendia fecerat, & Patricia ortus erat familia. Admiſſi tamen etiam plebeij A. V. C. CCCXXXIII. *Militariū quæſtorum* erat, legatis, cohorti prætoriæ & exercitui ſuppeditare annonam & ſtipendia, manubias recipere, arma publica & ſigna cuſtodire; & imperio ab imperatore accepto, bellum gerere. conf. Cæſar de B. G. VI. 6. VIII. 2.

2) *moviſſet,* i. e. ſollicitaſſet. Ita pariter loquitur Tacitus annal. III. 32. hiſt. I. 26.

3) *adſertor* i.e. vindex, defenſor. conf. Tacit. hiſt. II. 61.

manos, Hiſpaniæ putaretur. Cum interfectores ejus præmium à Cæpione conſule peterent, reſponſum eſt, *nunquam Romanis placuiſſe, imperatorem à ſuis militibus interfici.*

CAP. VIII.

Q. Pompejus deinde conſul à NUMANTINIS, quæ Hiſpaniæ civitas fuit opulentiſſima, ſuperatus pacem 1) ignobilem fecit. Poſt eum C. Hoſtilius Mancinus COS. iterum cum Numantinis pacem fecit infamẽ; quam populus & ſenatus juſſit infringi, atq; ipſum Mancinum hoſtibus tradi; ut in illo, quem auctorem fœderis habebant, injuriam ſoluti fœderis vindicarent. Poſt tantam igitur ignominiam, qua à Numantinis bis Romani exercitus fuerant 2) ſubjugati,

Pi

1) *ignobilem* i. d. minus honorificam. Nep. I. 5. *qua pugna nihil eſt nobilius* i. e. honorificentius.

2) *ſubjugati.* Verbum *ſubjugare* poſterioris Latinitatis

P. Scipio Africanus, ſecundo conſul factus, ad Numantiam miſſus eſt. Is primum militem vitioſum & ignavū, exercendo magis, quam puniendo, ſine aliqua acerbitate correxit. Tum multas Hiſpaniæ civitates partim bello cepit, partim in deditionem accepit. Poſtremo ipſam Numantiā, diu obſeſſam, fame confecit, & à ſolo evertit: reliquam provinciā in fidem accepit. Eo tempore Attalus rex Aſiæ, frater Eumenis, mortuus eſt, heredēq; populum Romanum reliquit. Jta imperio Romano per teſtamentum Aſia acceſſit. Mox Decimus Junius Brutus de Gallæcis & Luſitanis triumphavit magna gloria, & P. Scipio Africanus de Numantinis ſecundum triumphū egit XIV. anno, poſtquam priorem de Africa egerat.

CAP.

vocabulis adſcribitur à *Cellario* in *cur, poſter, de barb. Lat. linguæ* p. m. 126. Uſi ſunt eo Lactantius IV. 10. & Arnobius libro primo.

CAP. IX.

MOtum interim in Aſia bellum eſt ab ARISTONICO, Eumenis filio, qui ex concubina 1) ſuſceptus fuerat. Js Eumenes frater Attali fuerat. Adverſus eũ miſſus eſt Licinius Craſſus, infinita regum habens auxilia. Nam & Bithyniæ rex Nicomedes Romanos juvit: & Mithridates Ponticus, cum quo bellũ poſtea graviſſimũ fuit: & Ariarathes Cappadox, & Pylæmenes Paphlagõ. Victus eſt tamẽ Craſſus, & in prœlio interfectus. Caput Ariſtonico oblatum eſt: corpus Smyrnæ ſepultum. Poſtea Perpenna conſul Romanus, qui ſucceſſor Craſſo veniebat, audita belli fortuna, ad Aſiam celeravit: & acie victum Ariſtonicum, apud Stratonicen civitatem, quo fugerat, fame ad deditionem compulit. Ariſtonicus juſſu ſenatus Romæ in carcere ſtran-

1) *ſuſceptus fuerat* i. e genitus erat. Ita pariter loquitur Iuſtinus IX. 10. conf. II. 10. XXXVII. 1.

ſtrangulatus: triumphari de eo non poterat, quia Perpenna apud Pergamũ, Romam rediens, 2) diem obierat. L. Cæcilio Metello, & T. Quintio Flaminio Coss. Carthago in Africa juſſu ſenatus reparata eſt, quæ nunc manet; annis duobus & viginti, poſtquam a Scipione fuerat everſa. Deducti ſunt cives Romani.

CAP. X.

ANno DCXXVII. ab urbe condita, C. Caſſius Longinus, & Sex. Domitius Calvinus, conſules, GALLIS TRANSALPINIS bellum intulerunt, & Arvernorum tunc nobiliſſimæ civitati, atq; eorum regi Bituito, infinitamq; multitudinem juxta Rhodanũ fluvium interfecerunt: præda ex 1) torquibus Gallorum ingens Romam per-

2) *diem obierat*, i. e. mortuus erat. Ita pariter loquitur Nepos I. 7, X. 2.

1) *torquibus*. Torques antiquiſſimis temporibus uſitatas fuiſſe, oſtendit *Jo. Schefferus* in egregio libro *de torquibus*. Plerumq; erant aureæ: geſtatæ autem ſunt quoq;

perlata eſt. Bituitus ſe Domitio dedidit, atq; ab eo Romam ductus eſt, magnaq; gloria conſules ambo triumphaverunt. M. Portio Catone & Q. Martio Rege Coſs. DCXXXIII. anno ab urbe condita, Narbonam in Gallia colonia deducta eſt. Poſtea L. Metello, & Q. Mucio Scævola Coſs. de Dalmatia triumphatum eſt. Ab urbe condita anno DCXXXV. C. Cato conſul Scordiſcis intulit bellum, 2) ignominioſeq; pugnavit. C. Cæcilio Metello & Cn. Carbone Coſs. duo Metelli fratres eodem die, alterum ex Sardinia, alterum ex Thracia triumphũ egerunt: nuntiatumq; Romæ eſt, Cimbros è Gallia in Italiam tranſiſſe.

argenteæ & eburneæ. Duces utebantur torque aurea, ceu nota dignitatis; hi vero viros bello ſtrenuos etiam donabant torquibus.

2) *ignominioſe*. Hujus adverbij, à Gerh. Iob. Voſſio repudiati, vindicias ſcripſerunt Chr. Cellarius in *cur. poſt. de barb. L.L.* p. m. 146. & Olaus Borrichius in *cogit. de var. L.L. æt.* Nolim ergo de genuina ejus puritate dubitare. Vid. Taciti lib. *de mor. German.* cap. 6. §. 9.

CAP. XI.

P. Scipione Nasica, & L. Calpurnio Bestia Coss. JUGURTHÆ, Numidarum regi, bellum illatũ est, quod Adherbalem & Hiempsalem, Micipsæ filios, fratres suos, reges, & P. R. amicos interemisset. Missus adversus eũ Cos. Calpurnius Bestia, corruptus pecunia, pacem cum eo flagitiosissimam fecit, quæ à senatu reprobata est. Postea contra eundem, insequenti anno, Spurius Albinus Postumius profectus est. Is quoq; per fratrem ignominiose contra Numidas pugnavit. Tertio missus Q. Cæcilius Metellus consul, exercitum ingenti severitate & moderatione correctũ, cum nihil in quemquam cruentum faceret, ad disciplinã Romanam reduxit. Jugurtham varijs prœlijs vicit: elephantos ejus occidit, vel cepit: multas civitates ipsius in deditionem accepit. Et cum jam bello

1) finem poſiturus eſſet, 2) ſucceſſum eſt ei à C. Mario. Is Jugurtham, & Bocchum, Mauritaniæ regem, qui auxilium Jugurthæ ferre cœperat, pariter ſuperavit. Aliquot & ipſe oppida Numidiæ cepit, belloq; terminum poſuit, capto Jugurtha per quæſtorē ſuum Cornelium Syllam, ingentem virum; tradente Boccho Jugurtham, qui pro eo ante pugnaverat. A. M. Junio Syllano, collega Q. Metelli, Cimbri in Gallia, & à Minutio Rufo in Macedonia Sordiſci & Triballi, & à Servilio Cæpione in Hiſpania Luſitani victi ſunt: & duo triumphi, Jugurtha, primus per Metellū, ſecundus per Mariū, acti ſunt. Ante currum tamen Marij Jugurtha cum duobus filijs ductus eſt 3) catenatus, & mox juſſu conſulis in carcere ſtrangulatus.

---

1) *finem poſiturus eſſet.* Tacitus hiſt. III. 48. *bello*, inquit, *ſervili finis impoſitus.*

2) *ſucceſſum eſt ei.* Cicero epiſt. XIII. 21. *neq;* inquit, *ſucceſſum eſt ei.*

3) *catenatus.* Hæc vox à Quintiliano, Columella, Vitru-

LIBER QUINTUS

CAP. I.

DUm bellum in Numidia contra Jugurtham geritur, Romani consules M. Manlius, & Q. Cæpio à Cimbris & Teutonibus, & Tigurinis, & Ambronibus, quæ erant Germanorum & Gallorum gentes, victi sunt juxta flumen Rhodanum; & ingenti internecione 1) attriti, etiam castra sua & magnam partem exercitus perdiderunt. Timor Romæ grandis fuit, quantus vix Annibalis tempore Punici belli, ne iterum Galli Romam redirent. Ergo Marius post victoriam Jugurthinam secundo Cos. est factus, bellumq; ei contra Cimbros & Teutones

vio, Claudiano & alijs usurpata est. Vellejus Paterculus dixit II. 82. *catenis vinctus.*

1) *attriti.* i. e. debilitati. Ita pariter loquuntur Tacitus hist. I. 10. III. 50. & Curtius IV. 6.

nes 2) decretum eſt. Tertio quoq; ei & quarto delatus eſt conſulatus: quia bellum Cimbricū 3) protrahebatur. Sed quarto conſulatu collegam habuit Q. Lutatium Catulū. Cum Cimbris itaq; conflixit, & duobus prælijs CC. millia hoſtiū cæcidit. LXXX. millia cepit, & ducem eorum Teutobodum: propter quod meritum abſens quinto Cos. eſt factus. Jnterea Cimbri & Teutones, quorum copia adhuc infinita erat, ad Jtaliam tranſierunt. Jterum à C. Mario & Q. Catulo contra eos dimicatum eſt, ſed à Catuli parte felicius. Nam prœlio, quod ſimul ambo geſſerunt, CXL. millia, aut in pugna, aut in fuga, cæſa ſunt; IX. millia capta. Romani milites ex utroq; exer-

---

2) *decretum eſt*, i. e. adminiſtrandum delatum eſt. Sic Iuſtinus XXXVI. 4. *Aſia Licinio Craſſo*, inquit, *decernitur*, i. e. adminiſtranda traditur.

3) *protrahebatur*, i. e. differebatur & procraſtinabatur. Ita pariter loquitur Tacitus ann. XIII. 39. hiſt. II. 32. conf. Curt. III. 8.

exercitu trecenti perierunt. Tria & triginta Cimbris 4) ſigna ſublata ſunt. Ex his exercitus Marij duo reportavit; Catuli exercitus XXX. & unum. Is belli finis fuit: triumphus utriq; decretus eſt.

CAP. II.

Sex. Julio Cæſare, & L. Marcio Philippo Coss. ſexcenteſimo quinquageſimo 9. anno ab urbe cõdita, cũ prope alia omnia bella ceſſarent, in Italia graviſſimum bellum Picentes, Marſi, Pelignię moverũt: qui cum annis numeroſis jam pop. Romano odedirent, tum libertatem ſibi æquam adſerere cœperunt. Perniciosum admodum hoc bellũ fuit. P. Rutilius conſul in eo occiſus eſt: Cæpio nobilis ju-

4) *ſigna* De ſignis militaribus Romanorum jam ſupra diſſerendi mihi occaſio fuit. Conf. Plin. X. 4. Priſca Germanorum gens, teſte Tacito, etiam omnis generis ferarum effigiebus pro bellicis ſignis uſa eſt, & hæc ſigna ſancta ſacraq; duxit: non vero in tabula aliqua pictæ fuerunt effigies, ſed ex ſolido ligno, vel, ſi mavis, ferro expreſſæ. Uſi ſunt quoq; priſci Germani vexillis magnis verſicoloribus.

juvenis, & Porcius Cato, 1) alius Cos. Duces autem adverſus Romanos Picentibus & Marſis fuerunt, T. Vietius Hierius Aſinius, T. Herennius, A. Cluentius: à Romanis 2) bene contra eos pugnatum eſt, à C. Mario, qui ſexies conſul fuerat, maxime tamen à L. Cornelio Sylla, qui inter alia egregia, ita Cluentium, hoſtium ducem, cum magnis copijs 3) fudit, ut ex ſuis unum amitteret. Quadriennio, cum gravi tamen calamitate, hoc bellum 4) tractum eſt. Quinto demũ anno finem accepit per L. Corneliurn Syllam conſulem, cum ante in eodem bello ipſe multa ſtrenue, ſed prætor, geſſiſſet.

CAP.

---

1) *alias conſul*, i. e. alter conſul. Ita pariter loquitur Oroſius; ſicut oſtendi in *indice Latinitatis*.

2) *bene* i. e. feliciter. Vide *indicem Latinit.*

3) *fudit* i. e. proſtravit. Ita pariter loquitur Curtius IV. 16.

4) *tractum eſt*, i. e. dilatum eſt & prolongatum. Ita pariter loquitur Curtius III. 8. Vide *ind. Latin*

Cap. III.

ANno Vrbis conditæ DCLXII. primum Romæ bellū CIVILE commotum eſt: eodem anno etiam Mithridaticum. Cauſam bello civili C. Marius ſexies COS. dedit. Nam cum Sylla conſul, contra Mithridatem geſturus bellum, qui Aſiam & Achaiam occupaverat, mitteretur: inque exercitum in Campania pauliſper teneret, ut belli 1) ſocialis (de quo diximus) quod intra Italiam geſtum fuerat, reliquiæ tollerentur; Marius 2) adfectavit, ut ipſe ad bellum Mithridaticum mitteretur. Quare Sylla commotus, cum exercitu ad urbem venit: illic contra Marium & Sulpicium dimicavit. Primus urbem Romam armatus ingreſſus eſt, Sulpicium interfecit, Marium fugavit. Atq; ita Coss. ordi-

1) *ſocialis*. Bellum ſociale dicitur, quod contra ſocias civitates geſtum eſt, quæ a fœdere defecerant.

2) *adſectavit*. i. e. rogavit & poſtulavit.

ordinatis in futurum annum, Cn. Octavio, & L. Cornelio Cinna, ad Asiã profectus est. Mithridates enim, qui Ponti rex erat, atque Armeniam minorem & totum Ponticũ mare in circuitu cum Bosporo tenebat, primo Nicomedem, amicum populi Romani, Bithynia voluit expellere: senatuique mandavit, bellum se ei propter injurias, quas passus fuerat, illaturum. A senatu responsum est Mithridati, si id faceret, quod & ipse bellum à Romanis pateretur. Qua ex re iratus Cappadociam statim occupavit, & ex ea Ariobarzanem, regem & amicum populi Romani, fugavit. Mox etiam Bithyniam invasit, Paphlagoniam pulsis ex ea regibus, amicis populi Romani, Pylæmene & Nicomede. Inde Ephesum 3) contendit, & per omnem Asiam litteras misit, ut, ubicunque inventi essent ci-

3) *contendit*, i. e. celeriter profectus est. conf. Vell. Patercul. II. 20.

cives Romani, uno die occiderentur. Interea etiam Athenæ, civitas Achaiæ, ab Ariſtone Athenienſi Mithridati tradita eſt. Miſerat enim jam ad Achaiam Mithridates Archelaum ducem ſuum, cum centum & viginti millibus equitum ac peditum: per quem etiam reliqua Græcia occupata eſt.

Cap. IV.

SYlla Archelaum apud Piræcum, non longe ab Athenis, obſedit, ipſamq; urbem cepit: poſtea, commiſſo prælio contra Archelaum, ita eum vicit, ut ex CXX. millibus vix decem Archelao ſupereſſent, ex Syllæ exercitu XIV. tantum homines interficerentur. Hac pugna Mithridates cognita LXX. millia lectiſſima ex Aſia Archelao miſit, contra quem Sylla iterum 1) commiſit. Primo prœlio viginti millia hoſtium interfecta ſunt, filiuſq; Archelai Dioge-

1) *commiſit* nimirum *prœlium*. conf. Eutrop. IV. 5.

Diogenes: ſecundo omnes Mithridatis copiæ 2) exſtinctæ ſunt. Archelaus ipſe triduo nudus in paludibus latuit. Hac re audita Mithridates cum Sylla de pace agere cœpit. Interim eo tempore Sylla etiam Dardonos, Scordiſcos, Dalmatas, & Mœſos partim vicit, 3) alios in fidem accepit. Sed cum legati à rege Mithridate, qui pacem petebant, veniſſent, non aliter daturum Sylla eſſe reſpondit, niſi rex, relictis his, quæ occupaverat, ad regnũ ſuum redijſſet. Poſtea tamen ad colloquiũ ambo venerunt: pax inter eos ordinata eſt, ut Sylla, ad bellum civile feſtinans, à tergo periculũ non haberet.

CAP. V.

Nam dum Sylla in Achaia atq; Aſia Mithridatẽ vincit, Marius, qui fugatus

---

2) *exſtinctæ ſunt*, i. e. interfectæ & proſtratæ ſunt. Ita pariter loquuntur Iuſtinus XXVII. 2. Vell. Paterculus II. 54. Nepos XVII. 5.

3) *alios*. Nepos XVI. 1. *alterius factionis*, inquit, *principes* partim *interfecerant*, alios *in exilium eiecerant*.

gatus erat, & Cornelius Cinna, unus ex consulibus, bellum in Italia 1) reparaunt: & ingressi urbem Romam, nobilissimos ex senatu & consulares viros interfecerunt; multos proscripserunt, ipsius Syllæ domo eversa, filios & uxorem in fugam compulerunt: universus reliquus senatus, ex urbe fugiens, ad Syllam in Græciam venit, orans, ut patriæ subveniret. Jlle in Italiam 2) traiecit, bellum civile gesturus adversus Norbanum & Scipionem Coss. Primo prælio contra Norbanũ dimicavit non longe à Capua. Tum VI. millia ejus cæcidit, VI. millia cepit: CXXIV. suorum amisit. Jnde etiam ad Scipionem se convertit, & ante prœlium totum ejus exercitum sine sangvine in deditionem accepit. Sed cum Romæ mutati consules essent, & Ma-

1) *reparaunt*, i. e. renovarunt. Ita pariter loquitur Iustinus XXIV. 1.

2) *traiecit*, i. e. navali itinere transijt. Iustinus XXXI. 7. *filius regis*, inquit, *parvo navigio traiecit.*

Marius, Marij filius, ac Papirius Carbo consulatum accepissent; Sylla contra Marium juniorem dimicavit, & XV. millibus ejus occisis CCCC. de suis 3) perdidit. Mox etiam urbē ingressus est. Marium, Marij filium, Præneste persecutus, obsedit, & ad mortem compulit. Rursus pugnam gravissimam habuit contra Lamponium & Carinatem, duces partis Marianæ, ad portam Collinam. LXX. millia hostium in eo prœlio contra Syllam fuisse dicuntur, XII. millia se Syllæ dediderunt: ceteri in acie, in castris, insatiabili ira victoris 4) consumti sunt.

Cap. VI.

CN. quoq; Carbo, Cos. alter, ab Arimino ad Siciliam fugit, & ibi per Cn. Pompejum interfectus est: quem adolescentem Sylla annos unū & XX.

na-

---

3) *perdidit*, i. e. amisit. conf. Iustin. VIII. 1.

4) *consumti sunt*, i. e. interfecti sunt & vitâ privati. conf. Vell. Paterc. II. 52. & 90. Iustin. V. 8.

natum, cognita ejus induſtria, exercitibus præfecerat, ut 1) ſecundus à Sylla haberetur. Occiſo ergo Carbone Siciliã Pompejus recepit. Tranſgreſſus inde ad Africam, Domitium Marianæ partis ducem, & Hierdam, regem 2) Mauritaniæ, qui Domitio auxiliũ ferebat, occidit. Poſt hæc Sylla de Mithridate ingenti gloria triumphavit. Cn. etiam Pompejus (quod 3) nulli Romanorum tributum erat) quartũ & XX. annum agens, de Africa triumphavit. Hunc finem habuerunt duo bella funeſtiſſima: Italicũ, quod & ſociale dictum eſt; & civile, quæ ambo tracta ſunt per annos decem. Conſumſerunt ultra CL. millia hominũ, viros con-

1) *ſecundus à Sylla.* Ut ſecundum locum imperij teneret, ſicut ait Nepos XVIII. 4.

2) *Mauritaniæ* ſive partis Numidiæ. confer epitomen Livij c. 89. *Solemne Latinis*, inquit Cellarius, *Numidas adpellare Mauritanos, ut vel de Juba conſtat ex altero civili bello.*

3) *nulli Romanorum.* Teſte Livio XXXI. 20. triumphus illi negatus ante fuerat, qui neq; dictator, neq; conſul,

consulares XXIV. prætorios VII. ædilitios LX. senatores fere CC.

LIBER SEXTUS.

CAP. I.

MArco Æmilio Lepido, Q. Catulo consulibus, cum Sylla rempublicam 1) composuisset, bella nova 2) exarserunt: unum in Hispania: aliud in Macedonia: tertium in Pamphilia & Cilicia; quartũ, in Dalmatia. Nam SERTORIUS, qui partium Marianarum fuerat, timens fortunam ceterorũ, qui interemti erant, ad bellũ commovit Hispanias. Missi sunt contra eum duces Q. Cæcilius Metellus, filius ejus, qui Jugurthám regem vicit; & L. Domitius prætor: à Sertorij duce Hirtuleio Domitius occisus est. Metellus vario successu contra Sertoriũ

neque prætor rem gesserat. Pompeio autem, ahuc equiti Romano, necdum senatori, nondum ullo magistratu gesto, triumphus decretus fuit.

1) *composuisset*, i. e. in statum tranquillum vindicasset, omnibus in bonum redactis ordinem. Iustinus XLII. 5. & XVII. 3. pariter ita loquitur.

dimicavit. Poſtea, cum 3) impar pugnæ ſolus putaretur, Cn. Pompejus ad Hiſpanias miſſus eſt. Ita duobus ducibus adverſis Sertorius fortuna varia ſæpe pugnavit. Octavo demũ anno à ſuis occiſus eſt, finis ei bello datus per Cn. Pompejum adoleſcentẽ, & Q. Metellũ pium: atq; omnes prope Hiſpaniæ in ditionẽ populi Rom. redactæ ſunt.

CAP. II.

AD Macedoniam miſſus eſt Appius Claudius poſt conſulatum: levia prœlia habuit contra varias gentes, quæ Rhodopam provinciam incolebant, atq; ibi 1) morbo mortuus eſt. Miſſus ei ſucceſſor C. Scribonius Curio poſt conſulatum: is Dardanos vicit, & usq; ad Danubium penetravit; triumphũq; meruit, & intra trienniũ finem bello dedit.

CAP. III.

Ad Ciliciam & Pamphyliam miſſus

3) *impar pugnæ*. Eadem locutio placuit Nepoti II. 4. VII. 6. Iuſtino VI. 7. VII. 6.

1) *morbo mortuus eſt*, i. e. morte naturali obijt. Vell. Paterc. II. 102. *morbo ob t.*

eſt P. Servilius pro conſule, vir ſtrenuus. Js Ciliciam ſubegit, Lyciæ urbes clariſſimas oppugnavit, & cepit: in his Phaſelidem, Olympum, Corycum Ciliciæ. Jſauros quoq; adgreſſus, in deditionem redegit, atq; intra triennium bello finem dedit. Primus omnium Romanorum in Tauro iter fecit. Revertens triumphum accepit, & nomen *Iſaurici* meruit.

CAP. IV.

AD Jllyricum miſſus eſt Cn. Coſconius pro conſule: multam partem Dalmatiæ ſubegit, Salonas cepit, & 1) compoſito bello, Romam poſt biennium redijt. Jisdem temporibus conſul M. Æmilius Lepidus, Catuli collega, bellum civile voluit commovere: intra tamen unam æſtatem 2) motus

1) *compoſito bello*, i. e. ſub certis pacis conditionibus finito. Ita pariter loquuntur Nepos VII. 8. Vell. Paterc. II. 25. Cicero ep. X. 33.

2) *motus ejus*, i. e. ſeditio ab eo mota. Ita pariter lo-

tus ejus oppreſſus eſt. Ita uno tempore multi ſimul triumphi fuerunt: Metelli ex Hiſpania, Pompeij ſecundus ex Hiſpania, Curionis ex Macedonia, Servilij ex Iſauria.

CAP. V.

ANno Urbis conditæ DCLXXV. L. Licinio Lucillo, & M. Aurelio Contra Coss. mortuus eſt Nicomedes rex Bithyniæ, & teſtamento populũ Romanum fecit heredem. Mithridates, pace 1) rupta, Bithyniam & Aſiam rurſus voluit invadere. Adverſus eum ambo conſules miſſi variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem victus ab eo acie: etiam intra oppidum coactus eſt, & obſeſſus. Sed cum ſe inde Mithridates Cyzicũ tranſtuliſſet, ut Cyzico capto totam Aſiam in-

quuntur Tacitus annal. III. 41. XII. 54. & Vell. Paterculus I. 3.

1) *rupta pace*, i. e. ſolutis pacis legibus. Iuſtinus III. 7. *inducias*, inquit, *rumpebant*, *quas condixerant*.

invaderet. Lucullus ei aliter consul occurrit: ac dum Mithridates in obsidionne Cyzici commoratus, ipse eum à tergo obsedit, fameq; consumsit, & prœlijs vicit. Postremo Byzantiũ (quæ nunc Constantinopolis est.) fugavit, navali quoq; prœlio duces ej9 Lucull9 oppressit. Jta una hieme & æstate à Lucullo centum fere millia regis 2) exstincta sunt.

Cap. VI.

ANno urbis Romæ DCLXXIIX. Macedoniam provinciam M. Licinius Lucullus accepit, consobrinus ejus, qui contra Mithridatem bellũ gerebat. Et in Italia novum bellum subito commotum est. Septuaginta enim quatuor gladiatores, ducibus Spartaco, Crixo & Oenomao, effracto Capuæ 1) ludo, effugerunt, & per Jtaliam va-

2) *exstincta sunt*, id est *interfecta sunt*; sicut Vell. Paterc. II. 54. Confer *indicem Latinitatis*.
1) *ludo*, i. e. loco, in quo gladiatores educati, custoditi

vagantes, pene non levius bellum in ea, quam Annibal, moverunt. Nam multis ducibus, & duobus simul Romanorum consulibus victis, sexaginta fere millium armatorum exercitum congregaverunt: victiq; sunt in Apulia à M. Licinio Crasso proconsule; & post multas calamitates Italiæ, tertio anno, bello huic finis impositus.

CAP. VII.

SExcentesimo octogesimo, primo urbis conditæ anno, P. Cornelio Lentulo, & Cn. Aufidio Oreste Coss. duo tantum gravia bella in imperio Romano erant, Mithridaticũ & Macedonicum. Hæc duo Luculli 1) agebant, L. Lucullus, & M. Lucullus. L. ergo Lucullꝰ post pugnã Cyzicenĩ, qua vicerat

atq; eruditi sunt à lanista. Confer Horatij, *de arte poetica* vers. 32.

1) *agebant*, i. e. gerebant, administrabant. Phrasin *bellum agere*, quam & Nepos XXIII. 8. adhibuit, præstantissimus *Cellarius* vindicavit in eruditis ad illum Nepotis locum adnotationibus.

rat Mithridatem, & navalem, qua duces ejus opresserat, persecutus est eum: & recepta Paphlagonia atq; Bithynia, etiam regnum ejus invasit: Sinopen & Amisum, civitates Ponti nobilissimas, cepit. Secundo prœlio apud Cabira civitatem, quo ingentes copias ex omni regno adduxerat Mithridates, cum XXX. millia lectissima regis à quinque Romanorum millibus vastata essent, Mithridates fugatus, & castra ejus direpta. Armenia quoq; minor, quam 2) tenuerat, eidem 3) sublata est. Susceptus tamen est Mithridates post fugam à Tigrane Armeniæ rege, qui tum ingenti gloria imperabat: Persas enim sæpe vicerat, Mesopotamiam occupaverat, & Syriam, & Phœnices partem. Ergo Lucullus, repetens hostem fugatum, etiam regnū Ti-

2) *tenuerat*, i. e. sub potestate habuerat; sicut Nep. I. 1. §. 3.

3) *sublata est*, i. e. ademta est.

Tigranis, qui Armenijs imperabat, ingressus est: Tigranocerta, civitatem Armeniæ nobilissimam, cepit: ipsum regem cum sexcentis millibus 4) clibanariorum & centum millibus sagittariorum & armatorum venientem, XVIII. millia militum habens ita vicit, ut magnam partem Armeniorum deleverit. Jnde Nisibin profectus, eam quoq; civitatem cum regis fratre cepit. Sed hi, quos in Ponto Lucullus reliquerat, cum exercitus parte, ut regiones victas etiam Romanorum tuerentur, negligenter se & avare 5) agentes, occasionem iterum Mithridati in Pontum irrumpendi dederunt, atq; ita bellum renovatum est. Lucullo paranti, capta Nisibi, contra Persas 6) expeditionem, successor est missus.

CAP.

4) *clibanariorum*, eorum militum, qui thoracum muniti tegminibus & limbis ferreis cincti erant. dicuntur alias *cataphractarij*.

5) *agentes* pro *gerentes*. Sic infra X. 7. *ingenti se modestia egit* pro *modestissime se gessit*.

6) *expeditionem*, i. e. iter ad pugnam.

Cap. VIII.

ALter Lucullus, qui Macedoniã administrabat, Beſſis primus Romanorum intulit bellum, atq; eos ingenti prœlio in Æmo monte ſuperavit. Oppidũ Uſcudamam, quod Beſſi 1) habitabant, eodem die, quo adgreſſus eſt, vicit: Cabylen cepit; uſq; ad Danubiũ penetravit. Jnde multas ſupra Pontum poſitas civitates adgreſſus eſt. Jllic Apolloniam evertit; Calatim, Parthenopolim, Thomar, Hiſtrum, Burziaonē cepit: belloq; confecto Romam redijt, ambo tamen triumphaverunt; Lucullus, qui contra Mithridatem pugnaverat, majori gloria, cũ tantorum regnorum victor rediſſet.

Cap. IX.

COnfecto bello Macedonico, manente Mithridatico, quod, recedente Lu-

1) *habitabant* pro *incolebant*. Ita pariter loquitur Tacitus hiſt. V. 7.

Lucullo, rex collectis 1) auxilijs 2) reparaverat, bellum CRETICUM ortum est. Ad id missus Cæcilius Metellus ingentibus prœlijs intra triennium 3) omnem provinciam cepit, adpellatusque est *Creticus*, atque ex insula triumphavit. Quo tempore Lybia quoque Romano imperio per testamentum Apionis, qui rex ejus fuerat, accessit: in qua inclytæ civitates erant, Berenice, Ptolomais, & Cyrene.

Cap. X.

DUm hæc geruntur, PIRATÆ omnia maria 1) infestabant, ita ut navigatio Romanis, toto orbe victoribus, sola tuta non esset. Quare id bellum Cn. Pompeio 2) decretum est; quod intra paucos menses, ingenti felicitate &

1) *auxilijs*, i. e. copijs auxiliaribus; sicut Nep. XXII. 2.
2) *reparaverat*, i. e. renovaverat; sicut Iustin. XI. 12. XXIV. 1.
3) *omnem*, i. e. totam sicut cæsar de B. G. L. 1. §. 1.
1) *infestabant*, i. e. intuta atque infesta reddebant. Conf. Hirtij B. Afr. cap. 3. & Iustini XXXIX. 5.
2) *decretum est*, i. e. administrandum delatum est.

& celeritate, confecit. Mox ei delatum bellum etiam contra regem Mithridatem & Tigranem: quo suscepto, Mithridatem in Armenia minore nocturno prœlio vicit, castra diripuit, quadraginta millibus ejus occisis; viginti tantum de exercitu suo 3) perdidit, & duos centuriones. Mithridates cum uxore fugit, & duobus comitibus. Neq; multo post, cum in suos sæviret, Pharnacis filij sui apud milites seditione, ad mortem coactus venenum hausit. Hunc finem habuit Mithridates. Periit autem apud Bosporum, vir ingentis industriæ 4) consilijq;: regnavit annis sexaginta, vixit septuaginta duobus; contra Romanos bellum habuit annis quadraginta.

CAP. XI.

Tigrani deinde Pompejus bellū intulit.

---

3) *perdidit*, i. e. amisit. conf. Iustin. VIII. 1.

4) *consilijq;*, i. e. & prudentiæ; sicut Nep. IV. 1. VII. 1. Da tamen qui summa præditus erat prudentia. Nepos. XIV. 1. *virum maximi consilij* vocat.

lit. Jlle se dedidit, & in castra Pompeij sextodecimo milliario ab Artaxata venit: ac diadema suum, cum procubuisset, ad genua Pompeij, in manibus ejus collocavit: quod ei Pompejus reposuit, honorificeq; eum habitum regni tamen parte multavit & grandi pecunia. Ademta est ei Syria, Phœnice, Sophene: sex millia præterea talentorum argenti, quæ populo Rom. daret, quia bellum sine causa Romanis commovisset. Pompejus mox etiam Albanis bellũ intulit, & eorũ regem Oroden ter vicit. Postremo per epistolas & munera rogatus veniam ei ac pacem dedit. Iberiæ quoq; regẽ Artacen vicit acie, & in deditionem accepit; Armeniam minorem Deiotaro, Galatiæ regi, donavit, quia socius belli Mithridatici fuerat: Attalo & Pylæmeni Paphlagoniam reddidit: Aristarchum Colchis regẽ imposuit. Mox

Itu-

Ituræos & Arabas vicit: & cum venisset in Syriam, Seleuciam, vicinam Antiochiæ civitatem, libertate donavit, quod regem Tigranem non recepisset. Antiochensibus obsides reddidit: aliquantũ agrorum Daphnensibus dedit, quo lucus ibi spatiosior fieret, delectatus amœnitate loci & aquarũ abundantia. Inde ad Judeam transgressus, Hierosolymam 1) caput gentis, tertio mense cepit, duodecim millibus Judæorum occisis, ceteris in fidem acceptis. His gestis in Asiam se recepit, & finem antiquissimo bello dedit.

CAP. XII.

M. Tullio Cicerone oratore, & C. Antonio Coss. anno ab urbe condita DCLXXXIX. L. Sergius Catilina, nobilissimi generis vir, sed 1) ingenij

---

1) *caput gentis*, i. e. metropolim populi Iudaici. Sic Curtius V. 8. *ille jam Echatana pervenerat. caput Mediæ:* & VII. 4. *ipsa Bactra, regionis ejus caput, sita sunt sub monte Paravamiso.*

1) *ingenij pravissimi vir.* Vell. Paterc. II. 48, & 68 *homo ingeniosissime nequam.*

genij praviſſimi, ad delendam patriam conjuravit cum quibusdam, 2) claris quidem ſed audacibus viris. A Cicerone, urbe expulſus eſt: ſocij ejus deprehenſi, in carcere ſtrangulati ſunt: ab Antonio altero conſule Catilina ipſe prœlio victus eſt & interfectus.

CAP. XIII.

SExcenteſimo nonageſimo anno ab urbe condita D. Junio Silano & L. Murena Coss. Metellus de Creta triumphavit; Pompejus de bello piratico & Mithridatico. Nulla unquam pompa triumphi ſimilior fuit. Ducti ſunt ante ejus currum filij Mithridatis, filius Tigranis, & Ariſtobulus rex Judæorum: prælata ingens pecunia, auri atque argenti pondus infinitum. Hoc tempore nullum per orbem terrarum grave bellum erat.

CAP.

2) *claris*, i.e. amplis muneribus functis. Lentulus enim. conjuratorum princeps, conſulatum jam geſſerat, & prætura iterum fungebatur.

CAP. XIV.

ANno urbis conditæ DCXCIII. C. Julius Cæſar, qui poſtea imperavit, cum L. Bibulo conſul eſt factsu. Decreta eſt ei Gallia, & Jllyricum, cum legionibus decem. Is primo vicit Helvetios, qui nunc Sequani adpellantur. Deinde vincendo per bella graviſſima uſque ad Oceanũ Britannicum proceſſit. Domuit autem annis novem fere omnem Galliam, quæ inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenum & Oceanum eſt, & circuitu patet ad bis tricies centena millia paſſuum. Britannis mox bellum intulit, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat: & eos quoq; victos, obſidibus acceptis, 1) ſtipendiarios fecit. Galliæ autem tribu-

1) *ſtipendiarios fecit*, i. e. tributum pendere & obſequium præſtare coegit. Vell. Paterc. II. 38. *ſtipendiaria facta provincia.* Et Cæſar. da B. G. I. 36. *Aeduos ſibi ſtipendiarios eſſe factos.*

tributi nomine annum imperavit 2) sestertiū quadringenties: Germanosq; trans Rhenum adgressus immanissimis prœlijs vicit. Jnter tot successus ter male pugnavit; apud Arvernos semel præsens, & absens in Germania bis: nam legati ejus duo, Titurius & Aurunculejus, per insidias cæsi sunt.

CAP. XV.

Circa eadem tempora, anno urbis conditæ DCXCVII. M. Licinius Crassus, collega Cn. Pompeij Magni in consulatu secundo, contra Parthos missus est. Et cum circa Carras contra omina & auspicia dimicasset, à Surena, Orodis regis duce, victus, ad postremum interfectus est cum filio, clarissimo & præstantissimo juvene. Reliquiæ exercitus per C. Cassiū quæstorem

2) *sestertium quadringenties*, i. e. quadringenta millia sestertiorum. Pari modo loquitur Nepos XXV. 5. De sestertiis accurate exposuit celeberrimus *Jo. Matthias Gesnerus* cum in *chrestomathia Ciceroniana* n. 60. tum in *chrestom. Pliniana* n. XI. nota 4.

ſtorem ſervatæ ſunt: qui ſingulari animo perditas res & tanta virtute reſtituit, ut Perſas, rediens, trans Euphratem crebris prœlijs vinceret.

Cap. XVI.

HInc jam bellum civile ſucceſſit execrandum & lachrymabile; quo præter calamitates, quæ in prœlijs acciderunt etiam Romani nominis fortuna mutata eſt. Cæſar enim, rediens è Gallia victor, cœpit poſcere alterū conſulatum: atq; cum ſine 1) dubietate aliqui deferrent, contradictum eſt à Marcello Cos. à Bibulo, à Pompeio, à Catone, juſſusq; dimiſſis exercitibus ad urbem redire. Propter quā injuriam ab Arimino, ubi milites congregatos habebat, adverſum patriam

---

1) *dubietate*. Hæc vox ad poſteriorem Latinitatem pertinet: nam præter *Fulgentium* & *Amian. Marcellinum* vix quiſquam ea uſus eſt. Conf. *Rudolphi Goclenij* ſylv. barbar. p. 21. *Gerhardi Jo. Voſſij* lib. de vitijs ſermonis Latini p. 434. & *Olai Borrichij* cogit. de var. L. L. ætat. p. 93.

cum exercitu venit. Conſules cum Pompejo, ſenatuſq; 2) omnis, atque univerſa nobilitas ex urbe fugit, & in Græciam tranſivit: apud Epirum, Macedoniam, Achajam, Pompejo duce, contra Cæſarem bellum paravit. Cæſar vacuam urbem ingreſſus, 3) dictatorem ſe fecit. Jnde Hiſpanias petijt, ibi Pompeij validiſſimos & fortiſſimos cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone, ſuperavit. Jnde regreſſus, in Græciã tranſijt, adverſum Pompeium dimicavit. Primo prœlio victus & fugatus: evaſit tamen, quia nocte interveniente Pompejus ſequi noluit: dixitq; Cæſar, *nec Pompejum ſcire vincere, & illo tantum die ſe potuiſſe ſuperari.* Deinde in Theſſalia apud Palæopharſalũ, productis utrinq; ingentibus copijs, dimicave-

2) *omnis*, i. e. totus, univerſus.
3) *dictatorem ſe fecit.* Confer ea, quæ ſupra libro primo hujuſq; capite undecimo ſcripſit Eutropius.

caverunt. Pompeii acies habuit XL. millia peditum, equitum, in ſiniſtro cornu XII. millia, in dextro quingentos: Præter totius Orientis auxilia, totamq́; nobilitatem, innumeros ſenatores; prætorios, conſulares, & qui magnorum jam populorum victores fuiſſent. Cæſar in acie ſua habuit peditũ non integra XXX. millia, equites mille. Nunquam adhuc Romanæ copiæ in unum, neq́; majores, neq́; melioribus ducibus, convenerant, totum terrarum orbem facile ſubacturæ, ſi contra barbaros ducerentur. Pugnatum tamen eſt ingenti cõtentione, victuſque 4) ad poſtremum Pompejus, & caſtra ejus direpta ſunt. Jpſe fugatus, Alexandriam petijt, ut rege Ægypti, cui tutor à ſenatu datus fuerat juvenilem ejus ætatem, acciperet auxilia: qui fortunam magis quam amicitiam ſecu-

 tus,

4) *ad poſtremum*, i. e. extremo tempore. Vide *indicem Latinitatis*.

tus, occidit Pompejum, caput ejus & annulum Cæſari miſit. Quo conſpecto Cæſar etiam 5) lacrymas fudiſſe dicitur, tanti viri intuens caput, & generi quondam ſui.

CAP. XVII.

MOx Cæſar Alexandriam venit: ipſi quoq; Ptolemæus parare voluit inſidias; qua de cauſa regi bellũ illatum eſt. Victus in Nilo 1) perijt, inventumq; eſt corpus ejus cum lorica aurea. Cæſar Alexandria potitus regnum Cleopatræ dedit, Ptolemæi ſorori, cum qua conſvetudinem ſtupri habuerat. Rediens inde Cæſar Pharnacem, Mithridatis Magni filium, qui Pompejo 2) in auxilium apud Theſſaliam fuerat, rebellantem in Ponto, &

---

5) *lacrymas fudiſſe.* Tacitus annal. IV. 53. & Hirtius de B. Alex. cap. 24. dixerunt *lacrymas profundere, proÿcere.*

1) *perÿt.* navi, quæ eum exceperat, demerſa. Vide *Hirtÿ* de B. *Alex.* cap. 31.

2) *in auxilium fuerat.* Ita pariter loquitur *Sextus Rufus* cap. 11. Vide *indicem Latinitatis.*

& multas populi Romani provincias occupantem, vicit acie: postea ad mortem coegit.

CAP. XVIII.

IRde Romam regressus, tertio se consulem fecit cum M. Æmilio Lepido, qui ei dictatori magister equitum ante annum fuerat. Inde in Africam profectus est, ubi infinita nobilitas cum Juba, Mauritaniæ rege, bellum reparaverat. Duces autem Romani erant P. Cornelius Scipio, ex genere antiquissimo Scipionis Africani: (hic etiam socer Pompeij fuerat) M. Petrejus, Q. Varro; M. Porcius Cato, L. Cornelius Faustus Syllæ dictatoris filius. Commisso prœlio post multas dimicationes victor fuit Cæsar. Cato, Scipio, Petrejus, Juba, ipsi se occiderunt: Faustus, Scyllæ quondam dictatoris filius, Pompeij gener, à Cæsare interfectus est.

CAP.

CAP. XIX.

POst annũ Cæſar Romam regreſſus quarto ſe conſulem fecit, & ſtatim ad Hiſpanias eſt profectus, ubi Pompeij filij, Cnæus & Sextus, ingens bellum reparaverant. Multa prœlia fuerunt: ultimum apud Mundam civitatem: in quo adeo Cæſar pene victus eſt, ut, fugientibus ſuis, ſe voluerit occidere, ne poſt tantam rei militaris gloriam, in poteſtatem adoleſcentium, natus annos ſex & quinquaginta, veniret. Deniq; 1) reparatis ſuis vicit, & Pompeij filius major occiſus eſt, minor fugit.

CAP. XX.

INde Cæſar bellis civilibus toto orbe compoſitis Romã redijt, 1) agere inſolentius cœpit, & contra conſve-

1) *reparatis ſuis*, Vell. Patercul. II. 37. *reparatis exercitus viribus* Iuſtin. XXVI. 2. *reparato exercitu.*

1) *agere inſolentius cœpit*, Nep. IV. 2. elatius ſe gerere cœpit. Vide *ind. Lat.*

ſvetudinē Romanæ libertatis. Cū ergo & honores ex ſua voluntate, præſtaret, equi à populo ante deferebantur, nec ſenatui ad ſe venienti adſurgeret, aliaq; regia ac pene tyrannica faceret, conjuratum eſt in eum à LX. vel amplius ſenatoribus equitibuſq; Romanis. Præcipui fuerunt inter conjuratos duo Bruti, ex ejus genere Bruti, qui primus Romæ conſul fuerat & reges expulerat: C. Caſſius & Servilius Caſca. Ergo Cæſar, cum ſenatus die inter ceteros veniſſet ad curiam, XXIII. vulneribus confoſſus eſt.

LIBER SEPTIMUS.

CAP. I.

ANno Urbis ſeptingenteſimo fere ac nono, interfecto Cæſare, bella civilia reparata ſunt. Percuſſoribus enim Cæſaris ſenatus favebat. Antonius conſul,

ſul, 1) partium Cæſaris, civili bello opprimere eos conabatur. Ergo, turbata republica, multa Antonius ſcelera committens, à ſenatu hoſtis judicatus eſt. Miſſi ad eum perſequendum duo Coss. Pauſa & Hirtius, & Octavianus adoleſcens, annos X. & VIII. natus, ſororis Cæſaris 2) nepos, quem ille teſtamento hæredem reliquerat, & nomen ſuum ferre juſſerat. Hic eſt, qui poſtea Auguſtus eſt dictus & 3) rerum potitus. Quare profecti contra Antoniũ tres duces vicerunt eum. Evenit tamen, ut victores Coss. ambo morerentur. Quare tres exercitus uni Cæſari paruerunt. Fugatus Antonius, amiſſo exercitu, confugit ad Lepidũ, qui

---

1) *partium Cæſaris*, i. e. qui Cæſaris partibus favebat. Sic Nepos XXV. 6. *Atticus*, inquit *optimarũ erat partiũ*.

2) *nepos*. Filius Actiæ, quæ erat filia Iuliæ, ſororis Iulij Cæſaris.

3) *rerum potitus*, i. e. imperium adeptus. Ita pariter loquuntur Cicero ep. IX. 6. Iuſtinus VIII. 1. Nepos. XVII. 2. Cæſar de B. G. I. 3.

qui Cæſari 4) magiſter equitum fuerat, & tum copias militum grandes habebat à quo ſuſceptus eſt, mox, Lepido operam dante, Cæſar cum Antonio pacem fecit, & quaſi vindicaturus patris ſui mortem, à quo per teſtamentum fuerat adoptatus, Romam cum exercitu profectus eſt, extorſitque, ut ſibi XX. anno 5) conſulatus daretur. Senatum proſcripſit, cum Antonio & Lepido, & rempublicam armis tenere cœpit. Per hos etiam Cicero orator occiſus eſt, multique alij nobiles.

CAP. II.

JNtrea Brutus Caſſius, interfectores Cæſaris, ingens bellum moverunt: erant enim per Macedoniam & Orientem multi exercitus, quod occupave-

4) *magiſter equitum*. Equitum magiſter proximum à dictatore locum obtinebat, ſicut olim *tribunus Celerum* proximam a rege hubuerat dignitatem.

5) *conſulatus*. Legibus antea cautum fuerat, ne quis conſul crearetur, niſi quadraginta tres annos natus fuiſſet.

verunt. Profecti igitur contra eos Cæsar Octavianus Augustus & M. Antonius, (remanserat enim ad defendendam Jtaliã Lepidus,) apud Philippos Macedoniæ urbem, contra eos pugnaverunt. Primo prœlio victi sunt Antonius 1) & Cæsar: perijt tamen dux nobiliatis Cassius: secundo Brutus, & infinita nobilitas, quæ cum illis bellum gesserat. Ac sic inter eos divisa est res publica, ut Augustus Hispanias, Gallias, Jtaliam teneret: Antonius Asiam, Pontum, Orientem. Sed intra Jtaliam L. Antonius Cos. 2) bellum civile commovit, frater ejus, qui cum Cæsare contra Brutum & Cassium dimicaverat. Is apud Perusiam, Tusciæ civitatem, victus & captus est, neq; tamen occisus.

CAP. III.

JNterim à Sex. Pompeio Cn. Pompeij Magni

1) *& Cæsar*, & exercitus Cæsaris: ipse enim somnio monitus, a castris illo die abfuit.

2) *bellum civile commovit*: causam quidem interferens, se

Magni filio, ingens bellum in Sicilia commotum eſt, his, qui ſuperfuerant ex partibus Bruti Caſſijque ad eum 1) confluentibus. Bellatum per Cæſarem Auguſtum Octavianum, & M. Antonium adverſus Sex. Pompeium: pax 2) poſtremo 3) convenit. Eo tempore M. Agrippa in Aquitania rem proſpere geſſit: & L. Ventidius Beſſus irrumpentes in Syriam Perſas tribus prœlijs vicit. Pacorum, regis Orodes filium, interfecit eo ipſo die, quo olim Orodes, Perſarum rex, per ducem Surenam, Craſſum occiderat. Hic primus de Parthis juſtiſſimū tri-

pro populi Romani libertate contra impotentem Trium virorum faſtum pugnare; re autem vera incitatus a Fulvia, Marci fratris uxore, quæ maritum a Cleopatra ſtudebat abſtrahere.

1) *confluentibus*, i. e. agmine quaſi facto concurrentibus Eadem metaphora placuit Nepoti VII. 6.

2) *poſtremo* ſcilicet *tempore*. conf. Nep. XV. 1. XVIII. 12.

3) *convenit.* Iuſtinus XXX. 3. *pax in Macedonia non conveniebat*, man konnte ſich ijber den Frieden in Macedonien nicht vergleichen. Nepos XXIII. 6. *conditiones pacis non convenerunt.* Livius XXX. 40. *ſi conditiones convenirent pacis.*

triumphum Romæ egit. Jnterim Pompejus pacem rupit, & navali prœlio victus, fugiens ad Asiam, interfectus est.

CAP. IV.

ANtonius, qui Asiam & Orientem tenebat, repudiata sorore Cæsaris Augusti Octaviani, Cleopatram, reginã Ægypti, duxit uxorem. Contra Persas ipse etiam pugnavit: primis eos prœlijs vicit: regrediens tamen fame & pestilentia laboravit. Et cum 1) instarent Parthi fugienti, ipsis pro victoria cessit. Hic quoq; ingens bellum civile commovit, cogente uxore Cleopatra, regina Ægypti, cum cupiditate muliebri optat etiam in urbe regnare. Victus est ab Augusto navali pugna clara & illustri apud Actium, qui locus in Epiro est; ex qua fugit in Ægyptum: & desperatis rebus, cum omnes ad Augustum transirent, ipse se in-

1) *instarent.* *Instare hostibus* est in impetu, quo eos invasimus, audacter perseverare. Vid. Nep. XV. 9.

interemit: Cleopatra 2) ſibi aſpidem admiſit, & veneno ejus exſtincta eſt. Ægyptus per Octavianum Auguſtũ imperio Romano adiecta eſt, præpoſitusq́; ei Cn Cornelius Gallus. Hunc primum Ægyptus Romanum judicem habuit. Jta bellis toto orbe 3) confectis, OCTAVIANUS AUGUSTUS Romam redijt, XII. anno, quam Cos. fuerat. Ex eo rempub. per quadraginta & quatuor annos ſolus obtinuit. Ante enim XII. annis cum Antonio & Lepido eam tenuerat. Ita ab initio principatus ejus uſque ad finem LVI. anni fuere.

CAP. V.

OBijt autem LXXVI. anno, morte communi, in oppido Campaniæ Atella. Romæ in 1) campo Martio ſepul-

2) *ſibi aſpidem admiſit.* Vellejus Paterculus II. 87. *Cleopatra*, inquit, *illata aſpide, morſu ſane ejus, expers muliebris motus, ſpiritum reddidit.*

3) *confectis*, i. e. compoſitis. Vid. Nep. II. 4.

1) *campo Martio.* Ager Tarquiniorum, inquit Livius II. 5. qui inter urbem & Tiberim fuit, conſecratus Mar-

ſepultus eſt, vir, qui non immerito ex maxima parte deo ſimilis eſt putatus. Neq; enim facile ullus eo aut in bello felicior fuit, aut in pace moderatior. XLIV. annis, quibus ſolus geſſit imperium, civiliſſime vixit, in cunctos liberaliſſimus, in amicos fidiſſimus, quos tantis evexit honoribus, ut pene æquaret faſtigio ſuo. Nullo tempore res Romana magis floruit. Nam, exceptis civilibus bellis, in quibus invictus fuit, Romano adiecit imperio Ægyptum, Cantabriam, Dalmatiam, ſæpe ante victam, ſed penitus tunc ſubactam; Pannoniam, Aquitaniam, Jllyricum, Rhætiam, Vindelicos, & Salaſſos in Alpibus; omnes Ponti mari-

tius deinde campus fuit. A Romulo illic in honorem Martis ara poſita fuerat; ſed expulſis Tarquinijs campus Marti dicatus latius protenſus eſt. Fuit olim extra urbem. In eo *a*) comitia centuriata celebrabantur. *b*) morabantur illi, qui petebant triumphum, *g*) athletæ certabant tironeſq; militaribus exercitijs erudiebant, *d*) navalis pugnæ ratio oſtendebatur, *e*) varij ludi in honorem Martis inſtituebantur, *z*) clari viri mortui ſepeliebantur, & ſtatuæ ijs ponebantur.

ritimas civitates: in his nobilissimas Bosporum & Panticapæon. Vicit autem prœlijs Dacos; Germanorum ingentes copias cæcidit; ipsos quoque trans Albim fluvium submovit, qui in barbarico solo longe ultra Rhenum est. Hoc tamen bellum per Drusum privignum suum administravit; sicut per Tiberium, privignum alterum, Pannonicum. Quo bello CCCC. millia captivorum ex Germania transtulit, & supra ripam Rheni in Gallia collocavit. Armeniam a Parthis recepit: obsides, quod nulli contigit antea, Persæ ei dederunt: reddiderunt etiam 2) signa Romana, quæ Crasso victo ademerant, Scythæ & Indi, quibus antea Ro-

2) *signa Romana.* Signum militare mutum primis reipublicæ temporibus fuit manipulus fœni perticæ alligatus. Deinde Romani utebantur hasta, in cujus parte summa transversum erat ligneolum, & orbiculi quidam vel clypeoli, qui deorum primo, deinde imperatorum virorumque principum imagines referebant. Signa legionum erant aquila, imagines Principum: & equites utebantur vexillis. Confer *Demsteri paralipomena ad Rosini ant. Rom.* X. 29.

Romanorum nomen incognitum fuerat, munera & legatos ad eum miserunt. Galatia quoque sub hoc provincia facta est, cum antea regnum fuisset; primusque eam M. Lollius 3) pro prætore administravit. Tanto autem amore etiam apud barbaros fuit, ut reges, populi Romani amici, in honorem ejus conderent civitates, quas Cæsareas nominarent, sicut in Mauritania a rege Iuba: & in Palæstina, quæ nunc urbs est clarissima. Multi autem reges ex regnis suis venerunt, ut ei obsequerentur, & habitu Romano, togati scilicet, ad vehiculum vel equum ipsius cucurrerunt. Moriens divus adpellatus est. Rempublicam beatissimam Tiberio successori reliquit, qui privignus ei, mox gener, postremo adoptione filius fuerat.

CAP. VI.

TIBERIUS ingenti socordia imperi-

um

3) *pro prætore.* Proprætor eadem fere dignitate fuit, qua proconsul: hic duodecim habuit lictores, ille sex.

um gessit, gravi crudelitate, scelesta avaritia, turpi libidine. Nam nusquã ipse pugnavit: bella per 1) legatos suos gessit: quosdam reges, per blanditias ad se evocatos, nunquam remisit: in his Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in prouinciæ formam redegit, & maximam civitatem adpellari ex nomine suo jussit, quæ Cæsarea dicitur, cum Mazaca antea vocaretur. Hic tertio & vicesimo imperij anno, ætatis septuagesimo octavo, ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania.

1) *legatos suos.* Legatos militares oportebat esse viros prudentia & fortitudine militari insignes. Proximam ab imperatore dignitatem in bello habebant, Augustus, qui pleraque per legatos egit, quosdam vocavit *consulares*, qui integris exercitibus præessent; quosdam *pratorios*, qui singulis legionibus præessent. Cicero etiam legatos vocavit *consilij bellici auctores*, *ministros muneris provincialis*. Ante Cæsarum tempora legebantur à consulibus, teste Sallustio B. I. & Cicerone ep. ad Atticum XV. 1. Conf. *Lipsij* lib. 2. cap. 31. *de militia Romana*.

CAP. VII.

SUccessit ei CAJUS CÆSAR, cognomento CALIGULA, Drusi privigni Augusti & ipsius Tiberij nepos: sceleratissimus ac funestissimus, & qui etiam Tiberij dedecora 1) purgaverit, Bellum contra Germanos suscepit; & ingressus Bataviam, nihil strenue fecit. Stupra sororibus intulit: ex una etiam natam filiam cognovit. Cũ adversum cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate sæviret, interfectus in 2) palatio est anno ætatis suæ XXIX. imperij III. mense X. dieq; VIII.

CAP. VIII.

POst hunc CLAUDIUS fuit; patruus Caligulæ, Drusi, qui apud Mogonti-

1) *purgaverit*, i. e. pallio quasi texerit atque excusaverit. Ita pariter loquitur Tacitus annal. IV. 42.

2) *in palatio*. Palatium nominatur ædes imperatoris, quia Augustus Cæsar in *Palatino* monte habitaverat, ejusque ibi erat prætorium, & domus ejus multum acceperat splendoris, ideo, quod Romulus ibi olim habitarat.

gontiacum 1) monumentum habet, filius: cujus & Caligula nepos erat. Hic 2) medie imperavit, multa gerens tranquille atq; moderate, quædã crudeliter atq; insulse. Britanniæ bellum intulit, quam nullus Romanorum post Cajum Cæsarem attigerat: eaq; devicta per Cn, Sentium, & A. Plautium, illustres & nobiles viros, triumphum celebrem egit, quasdam insulas etiam ultra Britanniam in Oceano positas Romano imperio addidit, quæ adpellantur Orcades, filioq; suo Britannici nomen imposuit. Tam civilis autem erga quosdam amicos exstitit, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur, & conscendente eo Capitolium, lævus incederet. Is vi-

1) *monumentum*, i. e. tumulum honorarium.
2) *medie*, i. e. mediocriter. Vide *indicem Latinitatis*, & Cellarij *cur. post. de barb.* p. m. 222.

xit annos IV. & LX, imperavit XIV, post mortem consecratus est, divusq; adpellatus.

CAP. IX.

SUccessit huic NERO, Caligulæ avunculo suo simillimus: qui imperium Romanũ & deformavit & diminuit: inusitatæ luxuriæ, sumtuumq; ut qui exemplo Caii Caligulæ calidis & frigidis se lavaret ungventis; retibus aureis piscaretur, quæ 1) blatteis funibus extrahebat. Jnfinitam partem senatus interfecit, bonis omnibus hostis fuit. Ad postremum se tanto dedecore prostituit, ut saltaret & cãtaret in 2) scena, citharœdico habitu vel tragico. Parricidia multa commisit, fratre, uxore,

---

1) *blatteis funibus*, i. e. funibus purpureis. *Claudius Salmasius* in *Vopisci* Aurel. c. 46. *blattam*, inquit, *recentiores dixere, quam vetustiores nominarunt purpuram.*

2) *in scena.* Nepos in *præfatione* §. 5. *in scenam prodire*, inquit, *& populo esse spectaculo, nemini in Græcia fuit turpitudini; quæ omnia apud nos partim infamia partim humilia atq; ab honestate remota ponuntur.* Quid? quod histriones apud Romanos expertes erant munerum & honorum civilium.

re, matre interfectis. Urbem Romam incendit, ut spectaculi ejus imaginem cerneret, quali olim Troia capta arserat. Jn re militari nihil omnino ausus Britanniam pene amisit. Nam duo sub hoc nobilissima oppida capta illic atque eversa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt, legionesque Romanas sub jugum miserunt. Duæ tamen provinciæ sub eo factæ sunt, Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone, & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto. Propter hæc Romanæ urbi exsecrabilis, ab omnibus simul destitutus, & à senatu hostis judicatus, cum quæreretur ad pœnam, (quæ pœna erat talis, ut nudus per publicum ductus furca capiti ejus inserta, virgis usque ad mortem cæderetur, atque ita 3) præcipitare-

3) *præcipitaretur de saxo*, i. e. de saxo in mare præcipitaretur. Originem hujus supplicij indicat Valerius Maximus p. 7. editionis Vorstianæ. Gellius *Noct. Att* X. 18. *Decemviri*, inquit, *servos manifesti furti prehensos verberibus adfici & de saxo præcipitari jusserunt.* Confer.

taretur de ſaxo) è palatio fugit, & in ſuburbano ſe liberti ſui, quod inter Salariam & Nomentanã viam ad quartum urbis milliarium, interfecit. Ædificavit Romæ thermas, quæ ante Neronianæ dictæ; nunc Alexandrinæ adpellantur. Obijt triceſimo 4) & altero ætatis anno, imperij quarto decimo, atque in eo omnis familia Auguſti consumta eſt.

CAP. X.

HUic Servius GALBA ſucceſſit, antiquiſſimæ nobilitatis ſenator, cum ſeptuageſimum & tertium annum ageret ætatis, ab Hiſpanis & Gallis imperator electus; mox ab univerſo exercitu libenter acceptus. Nam privata ejus vita inſignis fuerat militaribus & civilibus rebus; ſæpe conſul, ſæpe 1) pro conſule, frequenter dux in graviſſimis

Greg. Laur. *Welleÿ* diſſert. *de ſupplicio ſubmerſionis apud antiquos*, Hafniæ an. 1701. editam.

4) *& altero*, i. e. & ſecundo. Vide Oberti Gifanij *obſervat. L. L.* p. 17.

1) *pro conſule.* Temere nonnulli diſputant, utrum vete-

mis bellis. Huius breve imperium fuit, & quod bona haberet exordia, nisi ad severitatem propensior videretur. Jnsidijs tamen Othonis occisus est, imperij mense septimo; jugulatus in foro Romæ, sepultusque in hortis suis, qui sunt 2) Aurelia via non longe ab urbe Roma.

Cap. XI.

OTHO, occiso Galba, 1) invasit imperium, 2) paterno genere nobilior quam materno, neutro tamen obscuro. Jn privata vita mollis at Neronis familiaris: in imperio documentum sui non potuit ostendere. Nam cum ijsdem temporibus, quibus Otho Galbam occiderat, etiam Vitellius factus

res recte dixerint *proconsul* unica voce, an vero *pro consule*; cum uterq; dicendi modus apud optimos quosque auctores inveniatur.

2) *Aurelia via.* Hæc ab Aurelio, viro consulari, strata est & nomen sortita.

1) *invasit imperium*, Iustinus XXI. 4. *regnum*, inquit, *invadere conatus est.*

2) *paterno genere nobilior.* Ita legendum esse censui, nixus auctoritate Taciti hist. II. 50.

ctus esset à Germanicianis exercitibus imperator, bello contra eum suscepto, cum apud Bebriacum in Italia levi prælio victus esset, ingentes tamen copias ad bellum haberet, sponte semetipsum occidit, petentibus militibus, ne tam cito de belli desperaret eventu, cum tanti se non esse dixisset, ut propter eum civile bellum commoveretur, voluntaria morte obijt, tricesimo & octavo ætatis anno, nonagesimo & quinto imperij die.

CAP. XII.

DEin VITELLIUS imperio potitus est, ortus familia honorata magis quam nobili. Nam pater ejus, non admodum clare natus, tres tamen ordinarios gesserat consulatus. Hic cum multo dedecore imperavit, & gravi sævitia notabilis, præcipue ingluvie & voracitate: quippe cum de die sæpe quarto vel quinto feratur epulatus. Notissima

tiſſima certe cœna memoriæ mandata eſt, quam ei Vitellius frater exhibuit; in qua ſuper ceteros ſumtus duo millia piſcium, ſeptem avium millia adpoſita traduntur. Hic cum Neroni ſimilis eſſe vellet, atq; id adeo 1) præ ſe ferret, ut etiam 2) reliquias *N*eronis, quæ humiliter ſepultæ fuerant, honoraret; à Veſpaſiani ducibus 3) occiſus eſt, interfecto prius Sabino, Veſpaſiani imperatoris fratre, quem cum Capitolio incendit. 4) Interfectus autem, & magno dedecore tractus per urbem Romam publice, nudus, erecta coma & capite, ſubiecto ad mentum gladio, ſtercore in vultum & pectus ab

---

1) *præ ſe ferret*, i. e. palam oſtenderet. Sic Cicero ep. XII. 28. *omnibus*, inquit, *inimicis reipublicæ eſſe me acerrimum hoſtem, præ me fero.*

2) *reliqias* nimirum cineres & oſſa.

3) *occiſus eſt*, conf. *Sveton.* Vitell. cap. 17.

4) *interfectus.* His in verbis ſine dubio eſt *Jſteron Proteron* hoc eſt Figura Poſtpoſitionis, quod tamen de auctoritate Eutropij nihil detrahit, cum & alij ſcriptores Romani hac interdum *figura* uſi ſint. Sic Virgilius: *moriamur*, inquit, *& in media arma ruamus.*

ab omnibus obvijs adpetitus, postremo jugulatus, & in Tiberim deiectus, etiam communi caruit sepultura. Perijt autem ætatis anno septimo & quinquagesimo, imperij mense VIII. & die uno.

CAP. XIII.

VEspasianus huic successit factus apud Palæstinam imperator: princeps obscure quidem natus, sed optimis comparandus. 1) privata vita illustris, ut qui a Claudio in Germaniam deinde in Britanniã missus, tricies & bis cum hoste conflixerit; quas validissimas gentes, XX. oppida, insulam Vectam, Britaniæ proximam, Imperio Romano adjecerit. Romæ se in imperio moderatissime gessit: pecuniæ avidior fuit, ita tamen, ut eam nulli injuste auferret: quam cum omni dili-

1) *privata vita.* In Germaniam missus fuit quidem legatus legionis, teste Svetonio cap. 14. Sed omnes dicti sunt *privati* præter Principem, licet magnis magistratibus admoti fuerint, postquam res Romana ad unum est delata.

diligentiæ proviſione colligeret, tamen ſtudioſiſſime largiebatur, præcipue indigentibus, nec facile ante eum cujusquam principis vel major eſt liberalitas comperta vel juſtior. Placidiſſimæ bonitatis erat, ut qui 2) majeſtatis quoq; contra ſe reos non facile puniret ultra exilij pœnam. Sub hoc Judæa Romano acceſſit imperio; & Hieroſolyma, quæ fuit urbs clariſſima Palæſtinæ. Achajam, Lyciã, Rhodum, Byzantium, Samum, quæ liberæ ante hoc tempus fuerant; item Thraciam, Ciliciam, Commagenen, quæ ſub regibus amicis erant, in provinciarũ formam redegit. Offenſarum & inimicitiarum immemor fuit. Convicia à cauſidicis & philoſophis in ſe dicta leniter tulit: diligens tamen coercitor diſciplinæ militaris. Hic cum Tito filio de Hieroſolymis triumphavit.

2) *majeſtatis reos*. Quid commiſerint ij, qui majeſtatis rei putati ſunt, indicat *Signonius de judicijs* III. 2.

vit. Per hæc cum ſenatui & populo, poſtremo cunctis, amabilis ac jucundus eſſet, profluvio ventris exſtinctus eſt in villa propria, circa Scabinos, annum ætatis agens ſexageſimum nonum, imperij nonum, & diem ſeptimum: atq; inter divos relatus eſt. 3) Geniturã filiorum ita cognitã habuit, ut, cum multæ contra eum conjurationes fierent, quas patefactas ingenti diſſimulatione contemſit, in ſenatu dixerit, *aut filios ſibi ſucceſſuros, aut neminem.*

CAP. XIV.

HUic TITUS filius ſucceſſit, qui & ipſe Veſpaſianus eſt dictus, vir omnium virtutum genere mirabilis, adeo ut *amor & deliciæ humani generis* diceretur. Facundiſſimus, bellicoſiſſimus, moderatiſſimus. Cauſas lati-

ne

3) *genituram*, i. e. thema natali:ium. Ita Svetonius quoque hac voce uſus eſt *Aug.* cap. 94. & *Calig.* c. 57. *Manilius*, qui extremo Auguſti ævo vixit & *aſtronomicon* conſcripſit, libro 3. verſu 166. eadem notione hanc uſurpat vocem, dum ſcribit:

Ergo age, ne falſa variet genitura figura.

ne egit; pöemata & tragœdias græce composuit. In oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, XII. propugnatores XII. sagittarum ictibus confixit. Romæ tantæ civilitatis in imperio fuit, ut nullum omnino puniret; convictos adversum sese conjurationis ita dimiserit, ut in eadem familiaritate, quã antea, habuerit. Facilitatis tantæ fuit & liberalitatis, ut nulli quidquam negaret: & cum reprehenderetur, respondit, *nullum tristem debere ab Imperatore descendere*, præterea, cum quadam die in cœna recordatus fuisset, nihil se illo die cuiquã præstitisse, dixit: *amici, hodie diem perdidi.* Hic Romæ 1) Amphitheatrum ædifica-

---

1) *Amphitheatrum.* Amphitheatra erant figura rotunda; in quibus gladiatores depugnabant, ut populum ballandi cupiditate flagrantem à teneris quasi annis adsve facerent fusi sangvinis spectaculis. In ijsdem imperatores exhibebant populo venationes ferarum, & præsertim earum, quæ ex Asia & Africa advectæ fuerant. Area seu medius amphitheatri locus dicebatur arena, quia conspergebatur arena: ab hac amphitheatrum gra-

ædificavit, & quinque millia ferarum in dedicatione ejus occidit. 2) Per hæc inusitato favore dilectus, morbo perijit in ea, qua pater, villa, post biennium, menses octo, dies XX. quam Imperator erat factus, ætatis anno altero & quadragesimo. Tantus luctus eo mortuo publicus fuit, ut omnes tanquam in propria doluerint orbitate. Senatus, obitu ipsius circa vesperam nuntiato, nocte irrupit in curiam, & tantas ei mortuo laudes gratiasque cōgessit, quantas ne vivo unquam egerat nec præsenti. Inter divos relatus est.

CAP. XV.

DOMITIANUS mox accepit imperium, frater ipsius junior; Neroni, aut Caligulæ, aut Tiberio similior, quam

dibus undique in orbem paulatim laxiorem adsurgebat. & versus summitatem efficiebat magnas porticus. Conf. Nicol. Bergierius *de vijs Rom. tom. X: thes. ant. Rom.* p. 563. & Lipsius de *Amphitheatris*.

2) *per hæc*, i.e. propter hæc. Sic Cicero epist. IV. lib. 1. *per legem Pupiam*, inquit, pro *propter legem Pupiam, id fieri non potest*.

quam patri vel fratri ſuo. Primis tamen annis moderatus in imperio fuit; mox ad ingentia vitia progreſſus, libidinis, iracundiæ, crudelitatis, avaritiæ, tantum in ſe odium concitavit, ut merita & patris & fratris aboleret. Interfecit nobiliſſimos ex ſenatu: dominum ſe & deum primus adpellari juſſit: nullam ſibi niſi auream & argenteam ſtatuam in Capitolio poni paſſus eſt: conſobrinos ſuos interfecit: ſuperbia quoq; in eo exſecrabilis fuit. Expeditiones quatuor habuit: unam adverſus Sarmatas; alteram adverſus Cattos, duas adverſum Dacos. De Dacis Cattisque duplicem triumphum egit: de Sarmatis ſolam 1) lauream uſurpavit. Multas tamen calamitates ijsdē bellis paſſus eſt. Nam in Sarmatia

2)

1) *lauream.* Cum res geſta triumpho haud digna eſſet, ſola uſurpabatur laurea, & tandem in Iovis Capitolini deponebatur gremio. Conf. *Iſaaci Caſauboni* adnot. ad Sveton. Domit. cap. VI.

2) legio ejus cum duce interfecta, & à Dacis Ap. Sabinus consularis, & Cornelius Fuscus, præfectus prætorio, cũ magnis exercitibus occisi sunt. Romæ quoq; multa opera fecit: in his Capitolium, & 3) ferum transitorium, 4) odeum 5) porticus, 6) Jseum, Serapeum, ac 7) stadium. Verum cum ob scelera universis exosus esse cœpisset, interfectus est suorum con-

2) *legio.* Ætate Romuli tria millia armatorum complebant *legionem*. Postea auctæ sunt legiones. Denique C. Marius legionem conscripsit, cujus numeruš fuit sex millium.

3) *Forum transit.* Hoc forum Nerva deinceps perfecit, ornavitque statuis: ex hoc in alia fora commodus erat transitus. Conf. Lipsij. lib. III. cap. VII. *de magnit. Rom.*

4) *odeum.* Odea à Romanis Græcos imitaturis exstructa erant ædificia certaminibꝰ Musicis destinata: in his citharœdi, tibicines poetæ & comœdiarum actores prius exercebantur, quam prodirent in theatrum.

5) *porticus.* In his imagines *patris & fratris*, divorum, exhibebantur, una cum litteris, res præclare ab ijs gestas enarrantibus.

6) *Iseum* & *Serapeum* sunt templa in honorem Isidis & Serapidis condita.

7) *Stadium.* Primum stadium Romæ à Domitiano fuisse constitutum, adfirmat *Svetonius* Domit. cap. 5. Erat vero nihil aliud, quam locus, in quo cursores currebant, teste Cicerone Tusc. Qv. XI. 23.

conjuratione in palatio anno ætatis XLV. imperij quintodecimo. Funus ejus ingenti dedecore per veſpillones exportatum & ignobiliter eſt ſepultũ.

LIBER OCTAVUS

CAP. I.

ANno octingenteſimo & quinquageſimo ab urbe condita, Vetere & Valente conſulibus, reſpublica ad proſperrimum ſtatum redijt, bonis principibus ingenti felicitate commiſſa. Domitiano enim, exitiali tyranno, NERVA ſucceſſit: vir in privata moderatus & ſtrenuus; nobilitatis mediæ, qui ſenex admodum, operam dante Petronio ſecundo, 1) præfecto prætorio; item Parthenio, interfectore Domitiani,

1) *Præfecto prætorio.* Prætorium erat locus, in quo prætor ſive intra urbem ſive extra urbem commorabatur; item tentorium illud, quo imperator in caſtris ſolebat uti. Deinde auguſtorum imperatorum palatia in urbibus eorumque tentoria in caſtris dicta ſunt *prætoria:* & corporis cuſtodes dicti ſunt *milites prætoriani*, quorum tribuni ac duces erant ſub poteſtate præfecti prætorio. Jlle etiam locus, in quo prætores in provincias cum imperio miſſi jus dicebant ex tribunali, dicebatur *prætorium.* Ceterum præfectus prætorio ſumma erat dignitate: isque erat fere imperatori, quod olim dicta-

Jmperator factus, æquissimum se & civilissimum præbuit. Reip. divina 2) provisione consuluit, Trajanum adoptando. Mortuus est Romæ post annum & quatuor menses imperij sui, ac dies octo: ætatis septuagesimo & altero anno: atque inter divos relatus est.

CAP. II.

SUccessit ei ULPIUS TRAIANUS CRINITUS, natus Italicæ in Hispania, familia non antiqua magis quam clara: nam pater ejus primum Cos. fuit; Jmperator autem apud Agrippinam in Gallijs factus est. Remp. ita administravit, ut omnibus principibus merito præferatur. Jnusitatæ civilitatis & fortitudinis fuit. Romani imperij, quod post Augustum defensum magis fuerat quam nobiliter ampliatum fines longe lateque diffudit: urbes trans Rhenũ in Germania reparavit. Daciam, Decibalo victo, subegit, 1) provincia trans Danubium facta in his agris, quos nunc Taiphali habent, & Victophali & Theruingi. Ea

tori magister equitum. Ideo & hodie dici possunt *præfecti prætorio Principum*, qui in eorum aulis sunt consiliorum principes.

2) *provisione*, i. e. providentia.

1) *provincia.* Provincia, ex descriptione Festi, *est regio quam populus Romanus provicit vel procul vicit.*

Ea provincia decies centena millia in circuitu tenet. Armeniam quam occupaverant Parthi, 2) recepit, Parthamasire occiso, qui eam tenebat. Albanis regem dedit. Jberorum regem, & Sauromatarum, & Bosporanorum, & Arabum, & Osdroenorum, & Colchorum, in fidem accepit. Carduenos Marcomedos occupavit; & Anthemusium, magnam Persidis regionem, Seleuciam & Ctesiphontem, Babylonem & Edessios vicit ac tenuit; usq; ad Jndiæ fines & mare rubrum accessit, atque ibi tres provincias fecit, Armeniam, Assyriam, Mesopotamiam, cum his gentibus; quæ Madenam attingunt. Arabiam postea in provinciæ formam redegit: in mari rubro classem instituit, ut per eam Jndiæ fines vastaret. Gloriam tamen militarem civilitate & moderatione superavit, Romæ & per provincias æqualem se omnibus exhibens, amicos salutandi causa frequentans, vel ægrotantes; vel, cum festos dies habuissent, convivia cum ijsdem indiscreta vicissim habens: sæpe in vehiculis eorum sedens, nullum senatorum lædens, nihil injustum ad augendum fiscum agens: liberalis in cunctos, publice privatimque di-

2) *recepit.* i.e. recuperavit; sicut Iustin. VI. 3. Nep. VII. 5.

ditans omnes, & honoribus augens, quos vel mediocri familiaritate cognovisset: orbem terrarum 3) ædificans, multas immunitates civitatibus tribuens: nihil non tranquillum & placidum agens, adeo, ut omni ejus ætate unus senator damnatus sit; atque is tamen per senatum, ignorante Traiano. Ob hoc per orbem terrarum deo proximus, nihil non venerationis meruit & vivus & mortuus. Jnter alia dicta hoc ipsius fertur egregium: amicis enim culpantibus, quod nimis circa omnes 4) communis esset respondit; *Talem se imperatorem esse privatis, quales esse sibi imperatores privatus optasset.* Post ingentem igitur gloriam, belli domique quæsitam, è Perside rediens, apud Seleuciam, Isauriæ profluvio ventris exstinctus est. Obijt autem ætatis anno LXIII. mense nono, & die quarto, imperij anno XIX. mense VI. die XV. Jnter divos relatus est, solusque omnium 5) intra urbem sepultus. Ossa ejus

3) *ædificans*, i. e. ædificijs exornans.

4) *communis*, i. e. comis & familiaris. Nepos XXV. 3. *Atticus*, inquit, *sic se gerebat, ut communis infimis videretur.* Cicero ep. IV. 9. *eum*, inquit, *magis communē censemus in victoria futurum.* Et *Grævius* in *adnot.* ad dicta Ciceronis verba comprobatum dedit, Svetonium, Plinium aliosque pariter ita fuisse locutos.

5) *intra urbem sepultus.* Duodecim tabularum legibus

ejus collocata in urna aurea in foro, quod ædificavit, ſub columna ſita ſunt: cujus altitudo CXLIV. pedes habet. Hujus tantum memoriæ delatum eſt, ut usque ad noſtram ætatem non aliter in ſenatu principibus acclametur niſi FELICIOR AUGUSTO, MELIOR TRAIANO. Adeo in eo gloria bonitatis obtinuit, ut vel adſentantibus, vel vere laudantibus occaſionem magnificentiſſimi præſtet exempli.

CAP. III.

DEfuncto Trajano, ÆLIUS ADRIANUS creatus eſt princeps; ſine aliqua quidem voluntate Trajani, ſed operam dante Plotina Trajani uxore, nam eum Trajanus, quanquam conſobrinæ filium, vivens noluerat adoptare. Natus & ipſe 1) Italicæ in Hiſpania; qui Trajani gloriæ invidens ſtatim provincias tres reliquit, quas Trajanus addiderat; & de Aſſyria, Meſopotamia, & Armenia revocavit exercitus, ac

cautum erat, ne quis intra urbem ſepeliretur; poſtea vero nonnullis ſingularis virtutis laude conſpicuis viris hic honos contigit, ut in urbe ſepelirentur.' At augurum ſecerdotumque fuit, locum ſepulchro deſignare extra portas.

1) *Italicæ.* Heic quidem domicilium habebant Adriani parentes; ſed tum rationum ſuarum cauſa Romæ agebant, cum naſceretur Adrianus. Vid. *Spartianus* in vita cap. 2. cum commentarijs Iſaaci Caſauboni. *Cellarius.*

ac finem imperij esse voluit Euphratem. Idem de Dacia facere conatum amici deterruerunt, ne multi cives Romani barbaris traderentur; propterea quod Trajanus, victa Dacia, ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat, ad agros & urbes colendas. Daciæ enim, diuturno bello Decibali, res fuerant exhaustæ. Pacẽ tamen omni tempore imperij sui habuit, semel tantum 2) per præsidem dimicavit, orbem Romanum circumivit, & multa ædificavit. Facundissimus Latino sermone, Græco eruditissimus fuit: non magnam clementiæ gloriam habuit; diligentissimus tamen circa ærarium & militum disciplinam. Obijt in Campania, major sexagenario, imperij anno XXI. mense X, die XXIX. Senatus ei tribuere noluit divinos honores: tamen cum successor ipsius Titus Aurelius Fulvius Antoninus hoc vehementer exigeret, & universi senatores palã resisterent, tandem obtinuit.

CAP. IV.

ERgo Adriano successit T. ANTONINUS FULVIUS BOIONIUS, idẽ etiã PIUS nominatus; genere claro, sed non admo-

---

2) *per præsidem:* nimirum bello Iudaico, quia eo imperante gravius non fuit aliud.

modum vetere; vir insignis, & qui merito Numæ Pompilio conferatur, ita ut Romulo Trajanus 1) æquetur. Vixit ingenti honestate privatus; majori in imperio: nulli acerbus, cunctis benignus: in re militari moderata gloria, defendere magis provincias quā amplificare studens, viros æquissimos ad administrandam rempublicam quærens, bonis honorem habens, improbos sine aliqua acerbitate detestans: regibus 2) amicis venerabilis non minus quam terribilis: adeo ut barbarorum plurimæ nationes, depositis armis, ad eum controversias suas litesque deferrent, sententiæque ejus parerent. Hic, ante imperium ditissimus, opes quidem omnes suas 3) stipendijs militum & circa amicos liberalitatibus minuit; verum ærarium opulentum reliquit. PIUS propter clementiam dictus est: obijt apud Lorium, villam suam, milliario ab urbe XII. vitæ anno LXXIII. imperij XXIII. atque inter divos relatus est & merito consecratus.

---

1) *æquetur*, i. e. similis habeatur.

2) *amicis regibus*, i. e. ijs regibus, qui societatem & amicitiam cum eo fecerant.

3) *stipendijs* Stipendium annuum quidem ijs etiam dabatur, qui ante hiemem dimittebantur; id quod *Rath. Herm. Schelius* In diss. *de stipendio Rom. milit.* ostendit. Hic vero imperator stipendia auxit supra modum; quo factum, ut opes ejus fuerint minutæ.

CAP. V.

POst huncimperavit MARCUS ANTONIUS VERUS, haud dubie nobilissimus, quippe cum ejus origo paterna à Numa Pompilio, materna à Salentino rege penderet: & cum eo L. ANNIUS ANTONIUS VERUS, tumque primum Romana respublica duobus, æquo jure imperium administrantibus, paruit: cum usque ad eos singulos semper habuisset 1) Augustos. Hi & genere inter se conjuncti fuerunt & adfinitate: nam Verus Annius Antoninus M. Antonini filiam in 2) matrimonium habuit; M. autem Antoninus gener Antonini Pij fuit per uxorem Galeriam Faustinam juniorem consobrinam suam. Hi bellum contra Parthos gesserunt, qui post victo-

1) *Augustos.* Octaviani *Augusti* cognomen penes Imperatores remansit posterioribus temporibus. *Irridendi sunt,* inquit Samuel Pitiscus tom. 1. *Lex. Rom. ant.* p. 214. *qui Augustum ex eo, quod imperium auxerit, dictum volunt. Græci, ut vocabuli vim tenerent, verterunt Sevastos* id est venerabilis, *& ut ita dixerim, adorabilis.* Ausonius in gratiarum actione: *unus omnium Gratianus potestate Imperator, virtute Victor, sanctitate Augustus, religione Pontifex, indulgentia pater.*

2) *in matrimonium habuit.* Casum quartum, ex more Græcorum, cum sexto commutari, non sine svavitate; luculenter commonstravit celeb. *I. W. Bergerus* in comment, de *naturali pulchritudine orationis*, p. 407. & 408.

ctoriam Trajani tum primum rebellave-rant. Verus Antoninus ad id profectus est: qui, Antiochiæ & circa Armeniam agens, multa per duces & ingentia patravit: Seleuciam, Assyriæ urbem nobilissimã cum quadraginta millibus hominum, cepit: Parthicum triumphum revexit: cum fratre eodemque socero triumphavit. Obiit tamen in Venetia, cum à Concordia civitate Altinum proficisceretur, & cum fratre in vehiculo sederet, subito sangvine ictus, casu morbi, 3) quem Græci *apoplexim* vocant. Vir ingenij parum civilis; reverentia tamen fratris nihil unquam atrox ausus. Cum obijsset undecimo imperij anno, inter deos relatus est.

CAP. VI.

POst eum MARCUS ANTONINUS solus rempub. tenuit; quem mirari facilius quis quam laudere possit. Principio vitæ

3) *morbi, quem Græci apoplexim vocant.* Hac loquendi formula Eutropius indicare voluit, se puritatis styli Romani fuisse studiosissimum. Adhibiturus vocem Græcam, quæ in Romanam civitatem nondum commigrarat, enarrat rem commemorandam per anfractus: non nescius, stylum Latinum corrumpi & impurum reddi earum usu vocum Græcarum, quæ Romana civitate nondum donatæ. Conf. celeb. *Bergeri lib. laud. p.* 380. *sqq.* & clarissimi *Christ. Henr. Weissii* lib. 2. *de stylo Rom.* cap. 9. p. 177. sqq.

tæ tranquillissimus: adeo, ut ex infantia quoque vultum nec ex gaudio nec ab mœrore mutaret. Philosophiæ deditus Stoicæ: ipse etiam non solum vitæ moribus sed etiam eruditione philosophus: tantæ admirationis adhuc juvenis, ut eum successorẽ paraverit Adrianus relinquere: adoptato tamen Antonino Pio generum esse ei idcirco voluerit, ut hoc ordine ad imperium perveniret. Institutus est ad philosophiam per Appollonium Calcedonium; ad scientiam litterarum Græcarum per Sextũ Chæronensem Plutarchi nepotem. Latinas autem litteras eum Fronto, orator nobilissimus, docuit. Hic cum omnibus Romæ æquo jure egit, ad nullam insolentiam elatus imperij fastigio: liberalitatis promtissimæ, provincias ingenti benignitate & moderatione tractavit. Contra Germanos eo principe res feliciter gestæ sunt. Bellum ipse unum gessit Marcomannicum; sed quantum nulla memoria fuit, adeo, ut Punicis conferatur, nam eo gravius est factum, quod universi exercitus Romani perierant: sub hoc enim tantus casus pestilentiæ fuit, ut post victoriam Persicam, Romæ ac per Italiam provinciasque, maxima hominum pars, militum omnes fere copiæ,

copiæ, languore defecerint. Jngenti ergo labore & moderatione, cum apud Carnuntum 1) jugi triennio perseverasset, bellum Marcomannicum confecit; quod dum Quadi, Vandali, Sarmatæ, Svevi, atque omnis barbaria commoverat : multa hominum millia interfecit: ac, Pannonijs servitio liberatis, Romæ rursus cum Commodo Antonino, filio suo, quem jam Cæsarem fecerat, triumphavit. Ad hujus belli sumtum, cum, ærario exháusto, largitiones nullas haberet, neque indicere provincialibus aut senatui aliquid vellet; instrumentum regij cultus, facta in foro divi Trajani sectione, 2) distraxit: vasa aurea, pocula crystallina & 3) murrhina, uxoriam ac suam sericam ac auream vestē, multa ornamenta gemmarum; ac per duos continuos menses venditio habita est, multumque auri redactum. |Post victoriam

1) *jugi triennio*, i. e. continuo trium annorum spatio, *drey Jahre lang an einander. Jugis, e,* enim idem est quod *continuus, a, um.*

2) *distraxit*, i. e. vendidit. conf. Sveton. Flav. Vesp. cap. XVI.

3) *murrhina*. Murrhinorum poculorum etiam mentionem iniecit Svetonius Aug. cap. 71. & Seneca epist. 123. itemq; Plinius *hist. ant.* XXXIII. 1. XXXVI. 26. XXXVII. 2. Conf. celeb. *J. M. Gesneri chrestomath. Plin.* p. 815.

am tamen emtoribus pretia restituit, qui reddere comparata voluerunt: molestus nulli fuit, qui maluit semel emta retinere. Hic permisit viris clarioribus, ut convivia eodem cultu, quo ipse, & ministris similibus, exhiberent. Jn 4) editione munerum post victoriam adeo magnificus fuit, ut centum simul leones exhibuisse tradatur.

CAP. VII.

CUm igitur fortunatam rempublicam & virtute & mansvetudine reddidisset, obijt XVIII. imperij anno, vitæ LXI, & omnibus certatim adnitentibus, inter divos relatus est. Hujus successor L. ANTONINUS COMMODUS nihil paterni habuit; nisi quod contra Germanos feliciter & ipse pugnavit. Septembrem mensem ad nomen suum transferre conatus est, ut Commodus diceretur. Sed luxuria & obscenitate depravatus, gladiatorijs armis sæpissime in 1) ludo, deinceps etiam

---

4) *editione munerum*, i.e. in præbendis spectaculis. *Munera dabant*, inquit Paul. Manutius in comment. in lib. 2. ep. Ciceronis, *populi gratiam aucupantes. cum vel gladiatorum certamina præberent, vel nummos dividerant, vel epulum darent, aut aliquid ejusmodi.* Idcirco Tacitus ann. III 37. §. 3. spectacula vocat *editiones* scilicet *munerum.*

1) *in ludo*, i. e. in schola & gymnasio gladiatorum. Herodianus lib. 1. cap. 16. pag. 54. editionis Bocclerianæ

am in Amphitheatro, cum hujusmodi hominibus sæpe dimicavit. Obijt morte subita adeo, ut strangulatus vel veneno interfectus putaretur: cum annis XII. post patrem & VIII, mensibus imperasset, tanta exsecratione omnium, ut hostis humani generis etiam mortuus judicaretur.

CAP. VIII.

HUic successit PERTINAX, grandævus jam, & qui septuagenariam attigisset ætatem, 1) præfecturam urbis tum agens, ex S. C. imperare jussus. Octogesimo imperij die, 2) prætorianorum militum seditione, & Juliani scelere, occisus est.

CAP.

---

vocat *ton Monomachon Catagogion* quod significat Schola vel Gymnasium Gladiatorum. Conf. *Joh. Henr. Boccleri* adnotationes p. 382. 383.

1) *præfecturam urbis.* Augustus ex consilio Mæcenatis dignitatem hanc primus instituit, teste Svetonio in *Aug.* cap. 37. *Præfectus urbi* plerumque ex eorum legebatur numero, qui jam alios omnes honores gesserant. Potestas ejus ordinaria erat & continua: & valebat intra urbem, & usque ad centesimum ab urbe Roma lapidem. Omnino quies publica ei erat curæ: ideo nummulariorum fraudes coercebat, jus dicebat præsertim inter dominos & servos, crimina tutorum detegabat; ut alia omittam, quid? quod habebat potestatem relegandi.

2) *prætorianorum*, h. e. eorum militum, quibus custodia corporis imperatoris credita erat. Græce ij dicuntur *Somatophilakes*, hoc est Custodes Corporis, vid Herodiani lib. 5. c. 4. §. 16.

CAP. IX.

POst eum SALVIUS IVLIANUS rem. pub. invasit, vir nobilis & jure peritissimus; nepos Salvij Juliani, qui sub divo Adriano 1) *perpetuum* composuit *edictum*. Victus à Severo apud Mulvium pontem, interfectus in palatio, vixit mensibus septem, postquam cœperat imperare.

CAP. X.

HInc imperij summam administrationis SEPTIMUS SEVERUS accepit: oriundus ex Africa, provincia Tripolitana, oppido Lepti. Solus omni 1) memoria & ante & postea ex Africa imperator fuit. Hic primum 2) fisci advocatus, mox militaris tribunus, per multa deinde ac varia officia

1) *perpetuum edictum.* Prætorum urbanorum *edicta* fuerunt *leges annuæ*, teste Cicerone *orat in Verrem l.* 109. 120. & ab his ipsi prætores varijs modis recedere consveverant: qua de causa C. Cornelius, tribunus plebis, legem tulit, ut prætores isti per integrum annum ex edictis suis jus dicerent. Denique sub Adriano *perpetuum* hoc *edictum* conditum est, ex quo jus diceretur in perpetuum; abolitis legibus annuis. Vide *Spanhemij exerc. ad constitut. Ant. Jmp.* II. §. 12.

1) *memoria*; h. e. omni tempore. Memoriam sæpe poni pro tempore, cujus meminimus, commonstrat *Joh. Vorstius* p. 40. *de Latin. sel.*

2) *fisci advocatus.* Hanc dignitatem Adrianus primum instituit. Hic advocatus in Principis consistorio causas agebat, cum de fisci commodis ageretur: *ærarium* enim populi erat, *fiscus* autem Principis.

officia atque honores usque ad administrationem totius reipub. pervenit. Pertinacem se adpellari voluit, in honorem ejus Pertinacis, qui à Juliano fuerat occisus. Parcus admodum fuit, natura sævus; bella multa & feliciter gessit. Pescennium Nigrum, qui in Ægypto & Syria rebellaverat, apud Cyzicum interfecit. Parthos vicit: Arabas eo usque superavit, ut etiam provinciam ibi faceret. Jdcirco Parthicus & Arabicus dictus est. Multa toto Romano orbe reparavit. Sub eo etiam Clodius Albinus, qui in occidendo Pertinace socius fuerat Juliano, Cæsarem se in Gallia fecit: victusque apud Lugdunum est & interfectus. Severus autem præter bellicā gloriam etiam civilibus studijs clarus fuit & litteris doctus, philosophiæ scientiam ad plenum adeptus. Novissimum bellum in Britannia habuit: utque 3) receptas provincias omni securitate muniret, vallū per XXII. millia passuum à mari ad mare deduxit. Decessit Eboraci admodum senex, imperij anno sexto decimo, mense tertio, & divus adpellatus est, nam filios duos successores reliquit, Bassianum & Getam:

3) *receptas*. Recipere h. l. idem significat quod *recuperare*; sicut Nep. VII. 5.

tam: ſed Baſſiano Antonini nomen à ſenatu voluit imponi, itaque dictus eſt M. Aurelius Antoninus Baſſianus, patrique ſucceſſit. nam Geta hoſtis publicus judicatus confeſtim perijt.

CAP. XI.

MARCUS igitur AURELIUS ANTONIUS BASSIANUS, idemq; CARACALLA, morum fere paternorum fuit; paulo aſperior, & minax. Opus Romæ egregium fecit, lavacra, quæ 1) thermæ Antoninianæ adpellantur; nihil præterea memorabile, Jmpatientis libidinis; ut qui novercam Juliam uxorem duxerit. Defunctus eſt in 2) Osdroene apud Edeſſam, moliens adverſum Parthos expeditionem, anno imperij VI. menſe II. vix egreſſus ætatis XLIII. annum, 3) funere publico elatus eſt.

CAP. XII.

OPILIUS deinde MACRINUS, qui præfectus prætorio erat, cũ filio DIADUME-

---

1) *thermæ Antoninianæ.* Thermæ apud Romanos magno æſtimabantur pretio. Ædiles ideo curam earum habebant. In publico gaudio præſtari ſolebant ſine mercede; quid? quod oleum dabatur gratuito; at in luctu publico uſus earum erat vetitus. Singulæ plura habebant balnea. Maximæ vero *thermæ* fuerũt *Antoninianæ*, ad raddices collis Aventini, inchoatæ ſunt â Caracalla, à Severo deinceps perfectæ.

2) *Osdroene.* Hæc erat pars Meſopotamiæ: conf. *Spart.* c. 7.

3) *funere publico.* Funerum publicorum apud Romanos

MENO 1) facti imperatores, nihil memorabile ex temporis brevitate, gesserunt, nam imperium eorum duum mensium, & unius anni fuit. Seditione militari ambo pariter occisi sunt.

CAP. XIII.

CReátus est post hos M. AVRELIUS ANTONINUS. Hic Antonini Caracallæ filius putabatur: sacerdos autem Heliogabali 1) templi erat. Is cum Romã ingenti & militum & senatus exspectatione venisset, probris se omnibus contaminavit. Jmpudicissime & obscenissime vixit, biennioque post & IIX. mensibus tumultu interfectus est militari, & cum eo mater 2) Semia Syra.

CAP. XIV.

SUccessit huic AURELIUS ALEXANDER; ab exercitu Cæsar, a senatu Au-

L gu-

pompam eleganter describit *P. J. Cantelius* p. 374. sqq. lib. *de rep. Rom.*

1) *facti imperatores.* Hoc in loco est *syllepsis casuum*, a Livio XXI. 60. Nepote XXII. 1. 5. & a Cicer. I. 14. ep. 7. non sine svavitate etiam usurpata. Et Nepos XIX. 2. *Demosthenes*, inquit. *cum ceteris sunt expulsi.*

1) *templi.* Hoc erat Emissæ, nobili urbe Phœniciæ. Ceterum *Cellarius* legendum putat *Elagabali templi*, nixus testimonio Herodiani V. 3. p. m. 227. edit. *Boecleriana.*

2) *Semia Syra.* Retinui lectionem Vineti, qui etiam se in antiquis libris invenisse scribit.

guſtus nominatus: juvenis admodum: ſuſceptoque adverſus Perſas bello, Xerxem eorum regem glorioſiſſime vicit, militarem diſciplinam ſeveriſſime rexit; quasdam tumultuantes legiones integras exauctoravit. 1) Adſeſſorem habuit, vel 2) ſcriniorum magiſtrum, Ulpinum, juris conditorem. Romæ quoque favorabilis fuit. Perijt in Gallia, militari tumultu, tertio decimo imperij anno, & die IIX. in matrem ſuam Mammæam 3) unice pius.

LIBER NONUS.

CAP. I.

POſt hunc MAXIMINUS ex corpore militari primus ad imperium acceſſit ſola militum voluntate, cum nulla ſenatus interceſſiſſet auctoritas, neque ipſe ſenator eſſet. Is, bello adverſus Germanos feliciter geſto, cum a militibus eſſet imperator adpellatus, à Pupieno Aquileia occiſus eſt, deſerentibus eum militibus ſuis, cum filio adhuc puero, cum imperaverat triennio & paucis diebus.

CAP.

1) *Adſeſſorem*, i. e. conſiliorum principem.
2) *ſcriniorum magiſtrum.* Quanta dignitate fuerit hic ſcriniorum magiſter, explicavi in *indice Latinitatis*.
3) *unice pius*, h. e. pius modo prorſus ſingulari. Sic Ci

CAP. II.

POstea tres simul Augusti fuerunt, PUPIENUS, BALBINUS, & GORDIANUS: duo superiores obscurissimo genere, Gordianus nobili: quippe cujus pater senior Gordianus, consensu militum, cum 1) proconsulatum Africæ gereret, Maximino imperante, 2) princeps fuisset electus. Jtaque cum Romam venissent Balbinus & Pupienus, in palatio interfecti sūt; soli Gordiano imperium reservatum. Gordianus admodum puer, cum Tranquillinam Romæ duxisset uxorem, 3) Janum geminum aperuit, & ad Orientem profectus, Parthis bellum intulit, qui jam moliebantur erumpere, quod quidem feliciter gessit, prœliisque ingentibus Persas adflixit. Rediens

---

cero lib. 5. ep. 8. *quos*, inquit. *unice*, h. e. modo singulari diligo. Ita pariter loquitur Tacitus annal. XV. 63.

1) *proconsulatum*, munus proconsulis. Proconsules *pro consulibus* mittebantur in provincias; aucto imperio Romano: at proprie non erant magistratus, sed tantum cum *potestate*, & cum lex accessisset, cum *imperio* esse dicebantur; ideoq; nec *auspicia* habebant.

2) *princeps*. Vid. Pitisci *Lex. Antiquit. Rom.* tom. II. 530. seqq.

3) *Janum geminum*, i. e. templum *Jani* bifrontis; Ianus enim gemina facie, posteriori altera, altera anteriori, pingebatur, quia & præterita & futura existimabatur respicere. Tempore pacis hujus templum erat clausum; at tempore belli apertum.

haud longe a Romanis finibus interfectus est fraude Philippi, qui post eum imperavit. Miles ei tumulum vicesimo milliario a 4) Circessio, quod castrum nunc Romanorum est, Euphrati imminens, ædificavit: reliquias Romam revexit; ipsum divum adpellavit.

CAP. III.

PHILIPPI duo, filius ac pater, Gordiano occiso, imperium invaserunt, atque, exercitu incolumi reducto, 1) ad Italiam è Syria profecti sunt. His imperantibus millesimus annus Romæ urbis ingenti ludorum adparatu spectaculorumq; celebratus est. Ambo deinde ab exercitu interfecti sunt: senior Philippus Veronæ, Romæ junior. Annis quinque imperaverunt, inter divos tamen relati sunt.

CAP. IV.

POst hos DECIUS, è Pannonia inferiore Budaliæ natus, imperium sumsit. Bellum civile, quod in Gallia motum fuerat, oppressit: filium suum Cæsarem fecit, Romæ lavacrum ædificavit. Cum biennio ipse

4) *Circessio*. Erat munimentum tutissimum. Amm. Marcellinus lib. XXIII. vocat illud *Cercusium*.

1) *ad Italiam*, i. e. in Italiam. Cicero ep. XVI. 12. *veni ad urbem*, inquit, pro *in urbem*.

ipſe & filius ejus imperaſſent, 1) uterque in ſolo barbarico interfecti ſunt, & inter 2) divos relati.

CAP. V.

MOx imperatores creati ſunt GALLUS HOSTILIANUS, & Galli filius VOLUSIANUS. Sub his Æmilianus in Mœſia 1) res novas molitus eſt: ad quem opprimendum cum ambo profecti eſſent, Interamnæ interfecti ſunt, nondum completo biennio. Nihil omnino clarum geſſerunt, ſola peſtilentia, & morbis, atque 2) ægritudinibus notus eorum principatus fuit. ÆMILIANUS obſcuriſſime natus, obſcurius imperavit, ac tertio menſe extinctus eſt.

CAP. VI.

HInc LICINIUS VALERIANUS, in Rhæ-

1) *uterque interfecti ſunt.* Phædrus I. 10. *cum uterq; inquit, perorassent cauſam ſuam.*

2) *divos.* Laudatiores Cæſarum vita functi poſt conſecrationem *divi* vocabantur ob ſingularia in rempublicam merita; ſed mali non ita, niſi interdum per vim adulationem viventium.

1) *res novas molitus eſt.* Eadem phraſi uſus eſt Tacitus ann. XII. 32.

2) *ægritudinibus.* i. e. morbis corporis. Antiquiores ægritudine moerorem animi ſolum deſignabant, teſte Cicerone lib. 3. *quæſt. Tuſc.* Poſtea vero de corporis morbo hæc vox etiam uſurpata eſt; id quod oſtendi in *indice Latinitatis.*

Rhætia & Norico 1) agens, ab exercitu imperator, & mox Augustus est factus. GALLIENUS quoque Romæ a senatu Cæsar est adpellatus. Horum imperium Romano nomini perniciosum & pene exitiabile fuit, vel infelicitate principum vel ignavia. Germani Ravennam usque venerunt. Valerianus, in Mesopotamia bellum gerens, a Sapore Persarum rege superatus est: mox etiam captus, apud Parthos ignobili servitute consenuit. Gallienus, cum adolescens factus esset Augustus, imperium primum feliciter, mox commode, ad ultimum perniciose gessit. Nam juvenis in Gallia & Jllyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursam Ingenio, qui 2) purpuram sumserat, & Trebelliano. Diu placidus & quietus, mox in omnem lasciviam dissolutus, tenendæ reipublicæ habenas probrosa ignavia & desperatione laxavit. Alamanni, vastatis Gallijs, in Italiam irruperunt. Dacia, quæ a Trajano ultra

1) *agens*, scilicet *tempus* sive *ætatem*. Sic Iustinus XXXIV. 4. *cum in latebris ageret*, inquit, *a filio interficitur Prusias*.

2) *purpuram sumserat*. i. e. imperium sumserat. Purpura enim Romani imperij Augustorumq; erat insigne. Idcirco in tumultuarijs Imperatorum creationibus sublata aliquando purpura est de vexillis aut e deorum direpta simulacris, cum alia non esset ad manum.

ultra Danubium fuerat adiecta, amissa est. Græcia, Macedonia, Pontus, Asia, vastata per Gothos. Ponnonia a Sármatis Quadisque 3) populata est. Germani usque ad Hispanias penetraverunt, & civitatem nobilem Tarraconem expugnaverunt. Parthi, Mesopotamia occupata, Syriam sibi cœperunt vindicare.

CAP. VII.

Tum, jam desperatis rebus, & deleto pene imperio Romano, Postumius in Gallia, obscurissime natus, purpurã sumsit: & per annos decem ita imperavit, ut consumtas pene provincias ingenti virtute & moderatione reparaverit: qui seditione militum interfectus est, quod Mogontiacum, quia adversum eum rebellaverat, Lolliano res novas moliente, diripiendam militibus tradere noluisset. Post eum Marius, vilissimus opifex, purpuram accepit, & secundo die interfectus est. Victorinus postea Galliarum accepit imperium, vir strenuissimus. Sed cum nimiæ libidinis esset, & matrimonia aliena 1) corrumperet,

3) *populata est*, passive; infra X. 8. active hoc verbum adhibetur.

1) *corrumperet matrimonia aliena*, i.e. cum aliorum uxoribus adulteria committeret. Eadem dictione usus est *Trebellius Pollio* cap. V. *de triginta tyrannis*.

ret, Agrippinæ occiſus eſt, 2) actuario quodam machinante dolum, imperij ſui anno ſecundo. Huic ſucceſſit Tetricus ſenator, qui, Aquitaniam honore 3) præſidis adminiſtrans, abſens a militibus imperator electus eſt, & apud Burdegalam purpuram ſumſit: ſeditiones multas militum pertulit. Sed dum hæc in Gallia geruntur, in Oriente per Odenatum Perſæ victi ſunt: defenſa Syria, recepta Meſopotamia, uſq; ad Cteſiphontem Odenatus penetravit. Ita, Gallieno rempublicam deſerente, Romanum imperium in Occidente per Poſtumium, per Odenatum in Oriente ſervatũ eſt.

CAP. VIII.

GAllienus interea, fraude Aureoli ducis ſui Mediolani cum fratre Valeriano occiſus eſt, imperij anno nono: CLAUDIUSque ei ſucceſſit, à militibus electus,

à

2) *actuario.* Actuarius erat olim *notarius*, qui acta notis excipiebat, adhibito ſcripturæ compendio, teſte Svetonio in *Jul. Caſ.* cap. 55. Conf. *Hugonis* lib. *de prima ſcribendi origine* cap. XXXII. Vocabant etiam actuarios antiqui *Tabigraphis Ipomnematographos* hoc eſt Actorum Notarius.

3) *Præſidis.* Præſidum dignitas magna fuit. *Conſularium* provinciarum rectorum dignitatem ea minorem fuiſſe nonnulli putant, quam habuerant *præſides*, conſulares enim habebant faſces, præſides vexilla; & nobiliora fuerunt inſignia, quæ præſidibus præferebantur, cum prodirent in publicum.

à ſenatu adpellatus Auguſtus. Hic Gothos, Jllyricum Macedoniamque vaſtantes, ingenti prœlio vicit. Parcus vir ac modeſtus; & juſti tenax, & reipublicæ gerendæ idoneus, qui tamen intra imperij biennium morbo interijt, & divus adpellatus eſt. Senatus ingenti eum honore decoravit, ſcilicet ut in curia 1) clypeus ipſi aureus, item in Capitolio ſtatua aurea, poneretur. QUINTILLUS poſt eum, Claudij frater conſenſu militum imperator electus eſt, vir 2) unicæ moderationis & civilitatis, æquandus fratri vel præponendus. Conſenſu ſenatus adpellatus Auguſtus, ſeptimo decimo die imperij occiſus eſt.

CAP. IX.

POſt eum AURELIANUS ſuſcepit imperium, Dacia Ripenſi oriundus: vir in bello potens, animi tamen immodici, & ad crudelitatem propenſioris, quique Got-

---

1) *clypeus aureus.* Talis clypeus erat diſcus quidam magnus, in quo ſculptæ erant heroum imagines & res præclaræ ab ijs geſtæ. Alias conficiebatur ex metallo; illis vero, qui peculiari modo de republica bene promeriti putabantur, aurei ponebantur clypei, teſte Svetonio in *Callig.* cap. 16. nec non Treb. Pollione in *Claud.* cap. 3.

2) *unicæ moderationis*, i. e. ſingularis & eximiæ moderationis. Sic Livius XXIV. 34. *Archimedes*, inquit, *unicus*, i. e. præſtans & eximius, *ſpectator cœli ſiderumque*.

Gothos ſtrenuiſſime vicit. Romanam 1) ditionem ad finem priſtinos varia bellorum felicitate revocavit. Superavit in Gallia Tetricum, apud Catalaunos: ipſo Tetrico prodente exercitum ſuum, cujus adſiduas ſeditiones ferre non poterat. Quin etiam per litteras occultas Aurelianum ita fuerat deprecatus, ut inter alia verſu Virgiliano uteretur:

Eripe me his invicte malis.

Zenobiam quoque, quæ occiſo Odenato marito Orientem tenebat, haud longe ab Antiochia ſive gravi prœlio cepit, ingreſſusque Romam, nobilem triumphũ, quaſi 2) receptor Orientis Occidentisque, egit, currum præcedentibus Tetrico & Zenobia: qui quidem Tetricus 3) corrector Luca-

1) *ditionem.* i. e. jurisdictionem & imperium. *Ditio* enim non *regionem* ſed poteſtatem & jurisdictionem apud optimos quosque ſcriptores indicat. Videatur C. *Cellarij antibarbarus* p. m. 168.

2) *receptor.* i. e. recuperator, conf. Iuſtin. V, 10.

3) *corrector.* Correctores erant magiſtratus provinciales, & fere per Italiam ſolum: nam extra eam raro fuere adhibiti. Aliquot provinciæ pro *correctoribus* acceperunt *conſulares;* duo autem correctores, poſt diviſionem Conſtantini, ſoli fuere relicti, alter Apuliæ & Calabriæ, alter Lucaniæ Brutiorum, ceteræ provinciæ habuerunt præſides. Antea ſingulæ provinciæ ſingulis correctoribus demandari conſveverant. Correctores præſidibus dignitate erant paulo inferiores: & *correctura* peritioribus rerum & eruditioribus conceſſa ſu

caniæ poſtea fuit, ac privatus diutiſſime vixit. Zenobia autem poſteros, qui adhuc manent, Romæ reliquit. Hoc imperante etiam monetarij in urbe rebellaverunt, vitiatis pecunijs & Feliciſſimo 4) rationali interfecto: quos Aurelianus victos ultima crudelitate compeſcuit: plurimos nobiles 5) capite damnavit: ſævus & ſangvinarius magis in quibusdam, quam in ullo amabilis imperator, trux omni tempore, etiam filij ſororis interfector: diſciplinæ tamen militaris & morum diſſolutorum magna ex parte corrector. Urbem Romam muris firmioribus cinxit; templū Soli ædificavit; in quo infinitū auri gemmarumque pondus conſtituit. Provinciam Daciam, quam Trajanus ultra Danubium fecerat, intermiſit, vaſtato omni Jllyrico, & Mœſia, deſperans eam poſſe retineri: abductosque Romanos ex urbibus & agris Daciæ in media Mœſia collocavit: & eſt in dextera Danubio in ma-

---

it. *Caſpar Barthius* LIV. 14. *adverſarior*; titulum hunc honoris ductum eſſe à corrigendis & in feliciorem ſtatum redigendis provincijs exiſtimat.

4) *rationali*. Rationalis poſteriori ævo adpellabatur procurator fiſci Cæſaris. Conf. *Jſaaci Caſauboni* adnot. ad *Æl. Lampridij* Alex. Sev. cap. 45.

5) *capite damnavit*. Ita pariter loquitur Svetonius in *Claud.* cap. 39.

mare fluenti, cum antea fuerit in læva. Occiditur serui sui fraude, qui ad quosdam militares viros, amicos ipsius, nomina pertulit adnotata falso, manum ejus imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere. Jtaque ut præveniretur, ab ijsdem interfectus est in itineris medio, quod inter Constantinopolim & Heracleam est stratæ veteris, locus Cœnophrurium adpellatur, mors tamen ejus inulta non fuit. Meruit quoque inter divos referri. Jmperavit annos quinq; menses VI.

CAP. X.

TACITUS post hunc suscepit imperiū, vir egregie moratus & reipublicæ gerendæ idoneus. Nihil tamen clarum potuit ostendere, intra sextum mensem imperij morte præventus. FLORIANUS, qui Tacito successerat, duobus mensibus & diebus XX. in imperio fuit; neq; quidquam dignum memoria egit.

CAP. XI.

POst hunc PROBUS, vir illustris gloria militari, ad administrationem reipublicæ accessit. Gallias à barbaris occupatas ingenti prœliorum felicitate restituit. Quosdam imperium usurpare conatos, scilicet Saturnium in Oriente, Proculum & Bo-

Bonoſum Agrippinæ, certaminibus oppreſſit. Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit, opere militari Almum montē apud Mœſiam ſuperiorem vineis conſevit, & provincialibus colendas dedit. Hic, cum bella innumera geſſiſſet, pace parta dixit, brevi milites neceſſarios non futuros. Vir acer, ſtrenuus, juſtus, & qui Aurelianum æquaret gloria militari, morum autem civilitate ſuperaret. Jnterfectus eſt tamen Syrmij, tumultu militari, in turri ferrata. Jmperavit annos VI. menſes quatuor.

CAP. XII.

POſt hunc CARUS eſt factus Auguſtus, Narbonæ natus in Gallia: qui confeſtim Carinum & Numerianum filios, Cæſares fecit, cum quibus regnavit duobus annis. Sed dum bellum adverſum Sarmatas gerit, nuntiato Perſarum tumultu ad Orientem profectus, res contra Perſas nobiles geſſit: ipſos prœlio fudit. Cochen & Cteſiphontem, urbes nobiliſſimas, cepit. Et cum caſtra ſupra Tigridem haberet, ictu divini fulminis perijt. NUMERIANUS quoque filius ejus, quem ſecum ad Perſas duxerat, adoleſcens egregiæ indolis, cum oculorū dolore correptus lecticula veheretur, impulſore Apro, qui ſocer ejus erat, per inſi-

ſidias occiſus eſt: & cum dolo occultaretur ipſius mors, quouſque Aper invadere poſſet imperium, fœtore cadaveris prodita eſt. Milites enim, qui eum ſequebantur, fætore commoti, diductis lecticulæ pallijs, poſt aliquot dies mortem ejus notam habere potuerunt. Jnterea CARINUS, quem Cæſarem in Parthos proficiſcens Carus in Jllyrico, Gallia, Jtalia reliquerat, omnibus ſe ſceleribus coinquinavit: plurimos innoxios fictis criminibus occidit: matrimonia nobilia corrupit. Condiſcipulis quoque, qui eum in adulterio vel levi fatigatione taxaverant, pernicioſus fuit. Ob quæ omnibus bonis inviſus, non multo poſt pœnas dedit.

CAP. XIII.

NAm de Perſide victa exercitus rediens, cum Carum Auguſtum fulmine, Numerianum Cæſarem inſidijs perdidiſſet, DIOCLETIANUM imperatorem creavit, Dalmatia oriundum, virum obſcuriſſime natum, adeo, ut à pleriſque ſcribæ filius, à nonnullis Anulini ſenatoris libertinus fuiſſe credatur. Is prima militum concione juravit, Numerianum nullo ſuo dolo interfectum, & cum juxta eum Aper, qui Nume-

meriano 1) insidias fecerat, constitisset, in conspectu exercitus, manu Diocletiani, gladio percussus est. Postea Carinum omnium odio & detestatione viventem, apud Margum ingenti prœlio vicit, proditum ab exercitu suo, quem fortiorem habebat; certe desertum, inter Viminacium atque Aureum montem. Jta rerum Romanarum potitus, cum tumultum rusticani in Gallia concitassent, & factioni suæ Bagaudarum nomen imponerent: duces autem haberent Amandum & Ælianum; ad subigendos eos Maximianum Herculium Cæsarem misit, qui levibus prœlijs agrestes domuit, & pacem Galliæ, 2) reformavit. Per hæc tempora etiam Carausius, qui, vilissime natus, in strenuæ militiæ ordine famam egregiam fuerat consecutus, dum apud Bononiam per tractum Belgicæ & Armoricæ pacandum mare accepisset, quod Franci & Saxones infestabant, multis barbaris sæpe captis, nec præda integra aut provincialibus reddita aut imperatoribus missa: cũ suspicio esse cœpisset, consulto ab eo admitti barbaros, ut trans-

---

1) *insidias fecerat*. Ita pariter loquitur Nepos VII. 9. X. 8. IV. 5.

2) *reformavit*, i. e. restauravit & in statum priorem redegit.

transſeuntes cum præda exciperet, atque hac ſe occaſione ditaret; à Maximiano juſſus occidi, 3) purpuram ſumſit, & Britannias occupavit.

CAP. XIV.

ITa cum per orbem terrarum res turbatæ eſſent, & Carauſius in Britannijs rebellaret, Achilleus in Ægypto, Africam Quinquegentiani 1) infeſtarent, Narſeus Orienti bellum inferret; Diocletianus MAXIMIANUM HERCULIUM 2) ex Cæſare fecit Auguſtum; Conſtantium & Maximinianum Cæſares. Quorum Conſtantius per filiam nepos Claudij traditur: Galerius Maximianus in Dacia haud longe à Sardica natus, atque ut eos etiam adfinitate conjungeret, Conſtantius privignam Herculij Theodoram accepit, ex qua poſtea ſex liberos, Conſtantini fratres, habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam, ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulſi. Cum Carauſio tamen, cum bella fruſtra tentata eſſent contra virum

3) *purpuram ſumſit*, i. e. imperium ad ſe rapuit.
1) *infeſtarent*, i. e. infeſtam & intutam redderent.
2) *ex Cæſare fecit Auguſtum*. Aevo poſteriori *Cæſar* non tam imperatorem ipſum, quam deſignatum & imperio deſtinatum ſucceſſorem denotavit.

rum rei militaris peritiſſimum, 3) ad poſtremum pax convenit. Eum poſt ſeptennium Allectus ſocius ejus, occidit, atque ipſe poſt eum Britannias triennio tenuit, qui ductu Aſclepiodoti, præfecti prætorio, eſt oppreſſus. Jta Britanniæ decimo anno receptæ.

CAP. XV.

PEr idem tempus à Conſtantio Cæſare in Gallia pugnatum eſt circa Lingones: die una adverſam & ſecundam fortunam expertus eſt. Nam cum, repente barbaris ingruentibus, intra civitatem eſſet coactus tam præcipiti neceſſitate, ut clauſis portis in murum funibus tolleretur; 1) vix quinque horis medijs, adventante exercitu, ſexaginta fere millia Alamannorum cæcidit. Maximianus quoque Auguſtus bellum in Africa profligavit, domitis Quinquegentianis & ad pacem redactis. Diocletianus obſeſſum Alexandriæ Achilleum octavo fere menſe ſuperavit, eumque interfecit. Victoria acerbe uſus eſt: totam Ægyptum gravibus proſcriptionibus cædibuſque fædavit. Ea tamen occaſione or-

3) *ad poſtremum*, i. e. extremo tempore. Vide *indicem Latinitatis*.

1) *vix quinque horis mediis*. i. e. vix interiecto quinque horarum ſpatio, ut loquitur Cæſar de B.G. III, 4.

dinavit provide multa, & diſpoſuit, quæ ad noſtrã ætatem manent. Galerius Maximianus primo adverſus Narſeum 2) adverſum prœlium habuit, inter Callinicũ Carraſque congreſſus, cum inconſulte magis quam ignave dimicaſſet: admodum enim parva manu cum copioſiſſimo hoſte 3) commiſit. Pulſus igitur, & ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurriſſet, tanta inſolentia à Diocletiano fertur exceptus, ut per aliquot paſſuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum cucurriſſe. Mox tamen per Jllyricum Mœſiamque contractis copijs, rurſus cum Narſeo, Ormiſdæ & Saporis avo, in Armenia majori pugnavit ſucceſſu ingenti, nec 4) minore conſilio, ſimulque fortitudine: quippe qui etiam ſpeculatoris munus cum altero ac tertio equite ſuſceperit. Pulſo Narſeo caſtra ejus diripuit: uxores, ſorores, cepit: infinitam 5) extrinſecus Perſarum nobilitatem, gazam Perſicam copioſiſſimam: ipſum in ultimas regni ſolitudines coegit. Quare à Diocletiano, in Meſo-

2) *adverſum prælium*, i. e. prœlium infauſtum.
3) *commiſit* ſcilicet. *pugnam*. Vide *indicem Latinitatis*.
4) *minore conſilio*, i. e. minori prudentia pariter atque calliditate. Vide vocem *conſiliũ* in *indice Latinitatis*.
5) *extrinſecus*, i. e. præterea. Vide *indicem Latinitatis*.

ſopotamia cum præſidijs tum morante, ovans regreſſus, ingenti honore ſuſceptus eſt. Varia deinceps & ſimul & viritim bella geſſerunt, Carpis & Baſternis ſubactis, Sarmatis victis: quarum nationum ingentes captivorum copias in Romanis finibus locaverunt.

CAP. XVI.

Diocletianus moratus callide fuit, ſagax præterea, & admodum ſubtilis ingenio, & qui ſeveritatem ſuam aliena invidia vellet explere; diligentiſſimus tamen, & ſolertiſſimus princeps: & qui imperio Romano primus regiæ conſvetudinis formam magis, quam Romanæ libertatis, invexit: 1) adorariq; ſe juſſit, cum ante eum cuncti 2) ſalutarentur: ornamenta gemmarum veſtibus celceamentiſq; indidit. Nam prius imperij inſigne in 3) chlamyde purpurea tantum erat; reliqua

1) *adorari.* Adorare eſt manum ori admovere; id quod obſervatum in ſalutatione deorum. Dubitabant enim deos ipſos ore profano tangere; ideoque eminus ſtantes manum porrigebant, eamq; ſtatim ad os ſuum reverenter referebant. Imperatorem adoraturi dextram manum, quam, primum hac purpuream ejus veſtem attigiſſent, ad os admovebant.

2) *ſalutarentur.* Solemnis formula ſalutationis olim erat *ave.* Et mane *ſalvere,* veſperi vero *valere* jubebantur domini, teſte Svetonio in *Galb.* cap. 4.

3) *chlamyde purpurea.* Chlamys eſt veſtimentum, quod

communia. Herculius autem propalam ferus, & incivilis ingenij, asperitatem suam vultus horrore significans. Hic, naturæ suæ indulgens, Diocletiano in omnibus, etiam severioribus consilijs, obsecutus est. Cum tamen 4) ingravescente ævo parum se idoneum Diocletianus moderando imperio esse sentiret, 5) auctor Herculio fuit, ut in privatam vitam concederent, & stationem tuendæ reipublicæ viridioribus junioribusque mandarent. Cui ægre collega obtemperavit: tamen uterque una die privato habitu imperij insigne mutavit, Nicomediæ Diocletianus, Hyrculius Mediolani, post triumphum inclytum, quem Romæ ex numerosis gentibus egerant, pompa 6) ferculorum illustri,

tunicæ superinduitur. Illum Macedones primi invenerunt: ab his Arcades acceperunt: ab his postea Græci ceteri. a quibus ad Romanos usus ejus transijt. Conficiebatur olim chlamys ex lana: ex serico factam induit Cajus Cæsar, cum triumphali pompa incederet: Caligula usus est aurea. Purpuream deinceps chlamydem gestasse Imperatores, intelligimus ex Rubenij *de re Vestiaria* I. 5. II. 7,

4) *ingravescente. avo.* i. e. ætate ingravescente, ut loquitur Cicero ep. II. 1.

5) *auctor Herculio fuit.* i. e. Herculio svasit; sicut Cicer. ep. I. 9. §. 85.

6) *ferculorum.* Ferculis triumphalibus suspensæ hostium devictorum vestes, signa militaria hostibus ablata, &

ſtri, qua Narſei conjuges ſororeſque & liberi ante currum ducti ſunt. Conceſſerunt tunc Salonas unus, alter in Lucaniam. Diocletianus privatus in villa, quæ haud procul à Salonis eſt, præclaro otio ſenuit: inuſitata virtute uſus, ut ſolus omniũ poſt conditum Romanum imperium ex tanto faſtigio ſponte ad privatæ vitæ ſtatum civilitatemque remearet. Contigit igitur ei, quod nulli poſt natos homines, ut cũ privatus obijſſet, inter divos tamen referretur.

LIBER DECIMUS

CAP. I.

HIs igitur abeuntibus ab adminiſtratione reipublicæ CONSTANTIUS & GALERIUS Auguſti creati ſunt: diviſusq; inter eos ita Romanus orbis, ut Galliam, Jtaliam, Africam, Conſtantius; Jllyricum, Aſiam, Orientem Galerius obtienret: ſumtis duobus Cæſaribus. Conſtantius tamen contentus dignitate Auguſti, Jtaliæ atque Africæ adminiſtrandæ ſollicitudinem recuſavit: vir egregius & præſtantiſſimæ civilitatis, divitijs provincialium ac priva-

ſpolia reliqua geſtabantur. Vid. Io. Schefferi *de re vehic.*. II. 3.

torum ſtudens, 1) fiſci cõmoda non admodum adfectus: ducenſque *melius, publicas opes à privatis haberi, quàm intra ûnum clauſtrum reſervari.* Adeo autem cultus modici, ut feriatis diebus, ſi cum amicis numeroſioribus eſſet epulandum, privatorũ argento oſtiatim petito triclinia ſternerentur. Hic non modo amabilis, ſed etiã venerabilis Gallis fuit, præcipue quod Diocletiani ſuſpectam prudentiam, & Maximiani ſangvinariam temeritatem imperio ejus 2) evaſerant. Obijt in Britannia, Eboraci, principatus anno tertio decimo, atque inter divos relatus eſt.

CAP. II.

GAlerius vir & probe moratus, & egregius in re militari, cum Jtaliam quoq; ſinente Conſtantio, adminiſtrationi ſuæ acceſſiſſe ſentiret, Cæſares duos creavit: MAXIMINUM, quem Orienti præfecit, & SEVERUM, cui Jtaliam dedit; ipſe in Jllyrico commoratus eſt. Verum Conſtantio

1) *fiſci commoda*, i. e. fiſci incrementa & opes. *Fiſcus* & *ærarium* olim ſic diſtingvebantur, ut *fiſcus* Principis, *ærarium* populi diceretur. Vide Taciti annal. VI. 2. & Plinij Panegyr. c. 36. Sed hæc diſtinctio poſterioribus temporibus immutata eſt, & voces uſurpatæ ſunt promiſcue. Vide *Spartiani* Adrian. c. 7.

2) *evaſerant*, i. e. effugerant eamque ſuperaverant; ſicut Plin. ep. VII. 24.

tio mortuo, CONSTANTINUS, ex 1) obſcuriori matrimonio ejus filius, in Britannia creatus eſt imperator, & in locum patris exoptatiſſimus moderator ſucceſſit. Romæ interea 2) prætoriani, excitato tumultu, MAXENTIUM Herculij filium, qui haud procul ab urbe in villa publica morabatur, Auguſtum nuncupaverunt. Quo nuntio Maximianus Herculius ad ſpē erectus 3) reſumendi faſtigij, quod invitus amiſerat, Romā advolavit è Lucania, quam ſedem privatus elegerat, in agris amœniſſimis conſeneſcens: Diocletianūq; etiam per litteras adhortatus eſt, ut depoſitam reſumeret poteſtatem; quas ille 4) irritas habuit, ſed adverſus motum prætorianorum atque Maxentij, Severus Cæſar, Romam miſſus à Galerio, cum exercitu venit: obſidenſque urbem, militum ſuorum ſcelere deſertus eſt, auctæ Maxentio opes, confirmatumque imperiū. Leverus fugiens Ravennæ interfectus eſt. He-

1) *obſcuriori matrimonio.* Natus enim erat ex Helena, quæ Conſtantio minus legitima ratione nupta fuit.

2) *prætoriani* ſcilicet *milites.*

3) *reſumendi faſtigij,* i. e. recuperandæ reſumendæque dignitatis imperatoriæ. *Faſtigium* noſter ſæpius uſurpavit de *imperio* & *imperatoris dignitate.*

4) *irritas habuit,* i. e. fruſtraneas & vanas eſſe exiſtimavit.

Herculius tamen Maximianus post hæc in concione exercitus filium Maxentium denudare conatus, seditionem & convicia militum tulit. Jnde ad Gallias profectus est, 5) dolo composito, tanquam à filio esset expulsus, ut Constantino genero jungeretur: moliens tamen Constantinũ reperta occasione interficere, qui in Gallijs & militum & provincialium ingenti jam favore regnabat, cæsis Francis atque Alamannis, captisque eorum regibus, quos etiam bestijs, cum magnificum spectaculum muneris parasset, objecit. Detectis igitur insidijs per Faustam filiam quæ dolum viro 6) enuntiaverat, profugit Herculius, Massiliæque oppressus (ex ea etenim navigare ad filium præparabat) pœnas dedit justissimo exitu: vir ad omnem asperitatem sævitiamque proclivis, infidus, incomodus, civilitatis penitus expers.

CAP. III.

PEr hoc tempus a Galerio LICINIUS imperator est factus, Dacia oriundus, notus

5) *dolo composito,* i. e. structa antea & comparata inter se fraude. Ita pariter loquitur Tacitus ann. XI. 10.
6) *enuntiaverat,* i. e. occultum & ignotum manifestaverat & revelaverat. Ita pariter loqvuntur Nepos IV. 4. & Cæsar de B.G. I. 4. & 17.

notus ei antiqua 1) consvetudine, & in bello, quod adversus Narseum gesserat, strenuis laboribus & officijs 2) acceptus: mors Galerij confestim secuta est, Respublica tum ab his quatuor imperatoribus tenebatur, Constantino & Maxentio, filijs Augustorum, Licinio & Maximo, novis hominibus: Quinto tamen Constantinus imperij sui anno bellum adversum Maxentiũ civile cõmovit: copias ejus multis prœlijs fudit: ipsum postremo, Romæ adversum nobiles omnibus exitijs sævientẽ, apud pontem Mulvium vicit, Italiaque est potitus. Non multo deinceps in Oriente quoque adversus Licinium Maximinus res novas molitus, vicinũ exitium fortuita apud Tarsũ morte prævenit.

CAP. IV.

CONSTANTINUS tamen vir ingens, & omnia efficere nitens, quæ animo præparasset, simul principatum totius orbis adfectans, Licinio bellum intulit; quãvis necessitudo & adfinitas cum eo esset: nam

1) *consvetudine*, i. e. convictu familiari. Vox *consvetudo* ab aureæ ætatis scriptoribus usurpata; vox *conversatio* vero pro *Omilia* seu familiari conversatione, & familiari convictu ab argenteæ demum ætatis scriptoribus usurpari cœpta est.

2) *acceptus*, i. e. carus atque gratus.

nam ſoror Conſtantia nupta Licinio erat. Ac primo eum, in Pannonia ingenti adparatu bellum apud Cibalas inſtruentem, repentinus oppreſſit, omnique Dardania, Mœſia, Macedonia potitus, numeroſas provincias occupavit. Varia deinceps fuerunt inter eos bella; & pax reconciliata, ruptaque eſt. Poſtremo Licinius navali & terreſtri prœlio victus, apud Nicomediam ſe dedidit, & 1) contra religionẽ ſacramenti Theſſalonicæ privatus occiſus eſt. Eo tempore res Romana ſub uno Auguſto & tribus Cæſaribus, quod nunquã contigit alias, fuit; cum liberi Conſtantini Galliæ, Orienti, Jtaliæque præeſſent. Verum inſolentia rerũ ſecundarũ aliquantũ Conſtantinũ ex illa favorabili animi docilitate mutavit. Primũ 2) neceſſitudines perſecutus, Criſpũ filium, egregium virũ: & ſororis filium, commodæ indolis juvenem, interfecit; 3) mox uxorẽ, poſt nume-

1) *contra religionem ſacramenti*, violata jurisjurandi religione. Hæc Eutropius, Chriſtianæ inimicus religioni, finxiſſe merito videtur. Certe Aurelius Victor, Licinium impium maxime tyrannum fuiſſe: contendit.

2) *neceſſitudines*, i. e. eos, qui propinqua cognatione cum eo erant conjuncti. Vide *indicem Latinitatis*.

3) *mox uxorem*, nimirum Fauſtam, vetitæ conſvetudinis cum Criſpo privigno incuſatam.

merosos amicos. Vir primo imperij tempore optimis principibus, ultimo medijs comparandus. Jnnumeræ in eo animi corporisque virtutes claruerunt. Militaris gloriæ adpetentissimus, fortuna in bellis prospera fuit: verum ita, ut non superaret industriã. Nam etiam Gothos, post civile bellũ, varie profligavit, pace his ad postremũ data, ingentemque apud barbaras gentes memoriã gratiæ collocavit. Civilibus artibus & liberalibus studijs deditus: adfectator justi amoris, quẽ ab omnibus sibi & liberalitate & docilitate quæsivit, sicut in nonnullos amicos dubius, ita in relinquos egregius: nihil occasionũ prætermittens, quo opulentiores eos clarioresque præstaret, multas leges rogavit, quasdã ex bono & æquo, plerasque superfluas, nonnullas severas, primusque urbẽ nominis sui ad tantũ fastigiũ evehere molitus est, ut Romæ æmulã faceret. Bellũ adversũ Parthos moliens, qui jam Mesopotamiã fatigabant, uno & tricesimo anno imperij, ætatis sexto & sexagesimo, Nicomediæ in villa publica obijt. Denuntiata mors ejus est etiã per 4) crinitam

4) *crinitam stellam.* Cometarum historiam exhibet *Jo. Baptista Ricciolus* in *Almagest. nov.* part. 2. p. 3. seqq.

tã ſtellã, quæ inuſitatæ magnitudinis aliquamdiu fulſit: Græci Cometen vocant; atque inter divos meruit referri.

CAP. V.

Succeſſores filios tres reliquit, atque unum fratris filium. Verum Dalmatius Cæſar proſperrima indole, neque patruo abſimilis, haud multo poſt oppreſſus eſt factione militari, & Conſtantio patruele ſuo ſinente potius quam jubente. CONSTANTINUM porro fratri bellum inferentem, & apud Aquilejam inconſultius prœlium adgreſſum, Conſtantis duces interemerunt. Jta reſpublica ad duos Auguſtos redacta eſt. CONSTANTIS imperium ſtrenuum aliquamdiu & juſtum fuit. Mox, cum & valetudine in proſpera & amicis pravioribus uteretur, ad gravia vitia converſus, cum intolerabilis provincialibus, militibus injucundus eſſet, factione Magnentij occiſus eſt. Obijt haud lon-

---

& *Ehrardus Weigelius* in diſſertatione *de Cometis*, Cometæ ſunt ſtellæ novæ & extraordinariæ, inquit celeberrimus *Jo. Frid. Weidlerus* p. 440, *inſtit, mathemat*, editionis ſecundæ, quæ quandoque in cœlis pallido lumine conſpiciuntur, & ut plurimum radiorum aliquod capillitium & quaſi comam circumferunt. Ceterum cometas rerum adverſarum nuntios eſſe, negant principes noſtræ æratis Mathematici.

longe ab Hiſpanijs, in caſtro, 1) cui Helenæ nomen eſt, anno imperij decimo ſeptimo, ætatis triceſimo; rebus tamen plurimis ſtrenue in militia geſtis, exercituique per omne vitæ tempus ſine gravi crudelitate fuit terribilis.

CAP. VI.

DIverſa CONSTANTII fortuna fuit. A Perſis enim multa & gravia perpeſſus, ſæpe captis & obſeſſis urbibus, cæſis exercitibus: nullumque ei contra, Saporem proſperum prœlium fuit; niſi quod apud Singaram haud dubiam victoriam ferocia militum amiſit: qui pugnam ſeditioſe & ſtolide, contra rationem belli, 1) die jam præcipiti, popoſcerunt. Poſt Conſtantis necem, Magnentio Jtaliam, Africam, Gallias, obtinente, etiam Jllyricum res novas habuit, Vetranione ad imperium conſenſu militum electo: quem grandævum, jam, & cunctis amabilem, diuturnitate & felicitate militiæ, ad tuendũ Jlly-

---

1) *cui Helenæ nomen.* Apud Helenam, oppidum Pyrenæo proximum: *Cellarius* & *Henr. Glareanus* ad h. l. *Retinet auctor nomen*, inquit Anna. Tanaquilli Fabri filia, in editione ab ſe confecta, nam ab Hiſpanis *Elna* dicitur.

1) *die jam præcipiti*, i. e. die ad noctem jam vergente & tenebris ingruentibus.

lyricum principē creaverunt: virum probum & morum veterum ac jucundæ civilitatis; sed omniū liberaliū artiū expertem adeo, ut ne elementa quidem prima litterarum, nisi grandævus & jam imperator, acceperit. Sed à Constantio, qui ad ultionem fraternæ necis bellū civile commoverat, abrogatum est Vetranioni imperium: qui novo inusitatoque more, consensu militum, deponere insigne compulsus est. Romæ quoque tumultus fuit, Nepotiano, Constantini sororis filio, per gladiatoriam manum imperium invadente, qui sævis exordijs dignum exitum nactus est: 2) vicesimo enim atque octavo die à Magnentianis ducibus oppressus, 3) pœnas dedit: caput ejus pilo per urbem circumlatum est: gravissimæq; proscriptiones & nobilium cædes fuerunt. Non multo post Magnentius apud Mursam profligatus acie est, ac pene captus, ingentes Romani imperij vires dimicatione consumtæ sunt, ad quælibet bella externa idoneæ, quæ multū triumphorum potuissent securitatisque conferre.

2) *vicesimo* non *vigesimo*. Confer *Christophori Cellarij orthographiam Latinam.* p. 211.

3) *pœnas dedit*, i. e. punitus est. Ita pariter loquuntur Nepos I. 3. Cicero orat. Phil. c. 12. n. 10. Tacitus ann. XVI. 29. Vell. Paterc. II. 4. Curtius V. 7.

CAP. VII.

ORienti mox à Conſtantino Cæſar eſt datus, patrui filius Gallus: Magnentiuſque, diverſis prœlijs victus, vim vitæ ſuæ apud Lugdunum 1) attulit, imperij anno tertio, menſe ſeptimo, frater quoque ejus Senonis quem ad tuendas Gallias Cæſarē miſerat. Per hæc tempora etiam à Conſtantio, multis incivilibus geſtis, Gallus Cæſar occiſus eſt: vir natura ferus, & ad tyrannidem pronior, ſi ſuo jure imperare licuiſſet. Silvanus quoque, in Gallia res novas molitus, ante diem triceſimū extinctus eſt, ſolusq; in imperio Romano eo tempore Conſtantius princeps & Auguſtus fuit. Mox Julianum Cæſarem ad Gallias miſit, patruelem ſuum, Galli fratrem: tradita ei in matrimonium ſorore: cum multa oppida barbari expugnaſſent, alia obſiderent, & ubique fœda vaſtitas eſſet, Romanumque imperium non dubia jam calamitate nutaret. A quo modicis copijs apud Argentoratū, Galliæ urbem, ingentes Alamannorum copiæ exſtinctæ ſunt: rex nobiliſſimus captus: Galliæ reſtitutæ. Multa poſtea per eundem Julianū egregie

gie

1) *attulit vim vitæ ſuæ.* Ita pariter loquitur Tacitus ann. VI. 38. XVI. 17.

gie adversum barbaros gesta sunt: submo- tique ultra Rhenū Germani, & finibus suis Romanum imperium restitutum. Neque multo post, cum Germaniciani exercitus 2) à Galliarum præsidio tollerentur, con- sensu militum Iulianus factus Augustus est, interiectoque anno, ad Jllyricum obtinen- dum profectus Constantio Parthicis bel- lis occupato, qui, rebus cognitis, ad bellū civile conversus in itinere obijt inter Ci- liciam Cappadociamq;, anno imperij o- ctavo & tricesimo, ætatis quinto & qua- dragesimo, meruitq; inter divos referri: vir egregiæ tranquillitatis, placidus, ni- mis amicis & familiaribus credens; mo- etiam uxoribus deditior: qui tamen prim- imperij annis ingenti se modestia egerit, familiarum etiam locupletator: neque in- honoros sinens, quorum laboriosa expe- tus fuisset officia. Ad severitatem tame- propensior, si 3) suspicio imperij mov- retur; mitis alias, & cujus in civilibus m- gis, quam in externis bellis, sit laudan- da fortuna.

CAP. VIII.

Hinc JULIANUS rerum potitus est, in- gentique adparatu Parthis intulit bel-

Iu

2) *à Galliarum præsidio*, i. e. à præsidiarijs Galliarum militibus.

3) *suspicio imperij*, i. e. suspicio cupiditate imperandi.

lum: cui expeditioni 1) ego quoque interfui. Aliquot oppida & castella Persarum in deditionem accepit vel vi oppugnavit, Assyriamq; populatus, castra apud Ctesiphontē stativa aliquamdiu habuit: remeansq; victor, dum se inconsultius prœliis inserit, hostili manu interfectus est, VI. Kalend. Julias, imperij anno septimo, ætatis altero & tricesimo, atque inter divos relatus est: vir egregius & rempublicam insigniter moderaturus, si per fata licuisset, liberalibus disciplinis adprime eruditus: Græcis doctior, atque adeo, ut Latina ejus eruditio nequaquā cum Græca scientia conveniret, facundia ingenti & promta, memoriæ tenacissimæ, in quibusdam philosopho propior, in amicos liberalis: sed minus diligens, quam tantum principem decuit, fuerunt enim nonnulli, qui vulnera gloriæ ejus inferrent, in provinciales justissimus: & tributorum, quatenus fieri posset, repressor: civilis in cunctos; mediocrem habens ærarij curam:

 glo-

1) *Ego quoq;.* Eutropius primum *Constantini Magni* ab epistolis fuit: deinde *Juliani Apostatæ* expeditioni adversus Parthos interfuit. Iuliani *Elikiotes Omun kai Airesiotes* id est Secretarius, & Viæ Comes dicitur à Nicephoro Videatur summi viri. *Jo. Alberti Fabricij*, *biblioth. Latin.* tom. 1. lib. 3. cap. 6. p. m-577.

gloriæ avidus, ac per eam animi plerũq; immodici, nimius religionis Christianæ insectator, perinde tamen 2) ut cruore abstineret; Marco Antonino non absimilis: quem etiam æmulari studebat.

CAP. IX.

POst hunc JOVIANUS, qui tunc 1) domesticus militabat, ad obtinendum imperium consensu exercitus electus est: commendatione patris, quam sua, militibus notior, qui, jam turbatis rebus, exercitu quoque inopia laborante, uno à Persis atque altero prœlio victus pacem cum Sapore, necessariam quidem sed ignobilem fecit: 2) mulctatus finibus, ac nonnulla imperij Romani parte tradita; quod ante eum annis mille centum & duobus deviginti fere, ex quo Romanum imperium con-

2) *ut cruore abstineret* Eos tamen non adficiebat pœnis, qui summis flagitijs, omnem superiorum sæculorum crudelitatem excedentibus, vexabant Christianos. Clandestina & occulta ratione eversum ibat res Christianorum.

1) *domesticus*, i. e. unus ex ijs satellitibus, qui in acie latus Principis protegebant & corporis ejus erant custodes. Ammianus Marcellinus lib. XXV. cap. 17. *Jovianus*, inquit, *eligitur imperator, ordinis domesticorum primus*. Veri igitur est simile, Iovianum fuisse tribunum eorum militum, qui corpus Principis custodiebant.

2) *mulctatus finibus*. i. e. privatus extremis provincijs.

conditum erat, nunquam accidit. Quin etiam legiones nostræ, ita & apud Caudium, per Pontium Telesinū, & in Hispania apud Numantiam, & in Numidia sub jugum missæ sunt, ut nihil tamen finiū traderetur. Ea pacis conditio non penitus reprehendēda foret, si fœderis necessitatem, 3) cum integrū fuit, mutare voluisset: sicut à Romanis omnibus his bellis; quæ commemoravi, factū est. Nam & Samnitibus, & Numantinis, & Numidis confestim bella illata sunt: neq; pax rata fuit. Sed dum æmulū imperij veretur, intra Orientē residens, gloriæ parum consuluit. Itaq; iter ingressus, atq; Illyricum petens in Galatiæ finibus repentina morte obijt: vir alias neque iners neq; imprudens, multi exanimatū opinantur nimia cruditate, inter cœnandū enim epulis indulserat; alij odore cubiculi, quod ex recenti tectorio calcis grave quiescentibus erat: quidā 4) nimietate prunarū, quas gravi frigore adoleri multas jusserat. Decessit imperij mense septimo, quarto decimo Kalend:

 Mar-

3) *cum integrum fuit*, i. e. cum in potestate & arbitrio ejus positum fuit. Vide Cæsar. de B. G. I. 85.

4) *nimietate*. hanc vocem sine ratione quibusdam suspectam esse, comprobatum dedi in *indice Latinitatis*.

Martias: ætatis, ut qui plurimū ac minimū tradunt, tertio & tricesimo anno, ac benignitate principū, qui ei successerunt inter divos relatus est: nam & civilitati propior & natura admodū liberalis fuit.

CAP. X.

IS status erat Romanæ rei, Joviano eodem & Varroniano Coss. anno urbis conditæ millesimo centesimo & nono decimo. Quia autem ad 1) inclytos principes venerandosque perventum est, interim 2) operi modum dabimus. Nam reliqua 3) stylo majore dicenda sunt, quæ nunc non tam prætermittimus, quam ad majorem scribendi diligentiam reservamus.

FINIS.

1) *inclytos principes.* Hi fuerunt *Valens* Augustus hujusque frater *Valentinianus.* Ideo supra I. 11. scripsit *quam potestatem nunc tranquillitas VESTRA habet.*
2) *operi modum dabimus,* i. e. finem operi imponemus.
3) *stylo majore,* i. e. uberiore dicendi copia.

IN-

JNDEX LATINITATIS
MEMORIA DIGNIORIS
IN EVTROPIUM
CONFECTUS ET ILLUSTRATUS
A
LAURENTIO REINHARDO.

A.

Ad-

Agere

Auxilium alicui præstare I. 17.
Auxilium alicui ferre I.

B.

Bellum sociale V. 3. est illud, quod contra socias civitates, quæ rupto fœdere defecerant; gestum est; conf. Nep. 11. 3. & 12. 4.

Bellum committere II. 16. Jta etiam loquitur Justinus XV. 4.

Bellum concitare IV. 2. Sic quoque Cicer. ep. 15. 4. Nep. 22. 4.

Bellum inferre alicui I. 10. Jta pariter loquuntur Nepos I. 3. Vell. Paterc. 82. 2. Præterea Nep. 23. 2. arma inferre Jtaliæ: itemq; 22. 4. bellũ inferre in Italiã.

Bellum parare contra aliquem II. 10.

Bellum reparare. I. 3. Ita pariter loquitur Justinus 11. 12. 24. 1. Nep. III. 2. renovare bellũ. Cicer. ep. XI. 9. bellum redintegrare. Tacit. hist. 2. 44. arma resumere, itemq; 2. 67. militiam resumere. Justin. 3. 5. bellum restaurare.

Bellum conficere VI. 8. est bellũ finire; conf. Nep. 2. 4. Cæs. de B. G. I. 30. Vell. Paterc. 2. 32.

Bene pugnare III. 7. est feliciter dimicare. Eadem locutio placuit Sulpicio Severo h. s. lib. 2. c. 21. Contrarium *male pugnare* habet Justinus 32. 3.

C.

C.

C*Adere alicui ad pedes*. IV. 4, Juſtin. 11. 9. genibus alicujus provolvi. Curt 8. 10. genibus alicujus admoveri. Cæſar de b. g. l. 27. ad pedes alicujus ſe projcere.

Capere civitatem I. 18.

Caput gentis VI. 11. eſt metropolis populi; conf. Curt. 5. 8. & 7. 4.

Catenatus pro *catenis vinctus* IV. 11. Jdem vocabulum à Quintiliano, Columella & Vitruvio uſurpatum eſt.

Cauſas agere Latine VII. 14.

Cenſum habere in urbe I. 14.

Ceſſant bella II. 19.

Cingunt urbem omnia hæc oppida. L. 1.

Cogere aliquem ad mortem, VI. 17.

Coinquinare ſe ſceleribus, IX. 12.

Colere agrum manibus ſuis I. 15.

Committere ſc. prœlium *contra aliquem* IV. 5. V. 4. IX. 15. Henr. Glareanus, Chriſtoph. Heidmannus, & Tanaquillus Faber in editionibus ſuis verbo *committere* ſemper præfixerunt *pugnam*.

Committere pugnam, II. 6. Nep. 23. 11. & Cæſar de B. G. 4. 14. committere prœlium, Vell. Patercul. 2. 85, certamen inire. Juſtin. 2. 11. pugnam capeſſere.

Communis, VIII. 2. eſt comis & familiaris; ſicut Nep. 25. 3. & Cicer. epiſt. 4.

9.

9. Conf. *J. G. Grævij adnotat.* ad commemoratum Ciceronis locum.

Commovere bellum, l. 1. Nep. XVIII. 3. bellum conflare. Justin. 38. 3. suscitare bellum.

Commovere seditionẽ ll. 4.

Concitare populum l. 7.

Condere urbem, l. 1. Jta pariter loquitur Justinus IX. 1. XI. 10. *Constituere urbẽ* Vell, Paterc. l. 4. & Eutr. l. 1.

Conficere bellum VIII. 6. est bellum finire atq; componere, sicut Nep. 2. 4. Cæs. de b.g. 1. 30. Vell. Paterc. 2. 32. Tacit. annal. 1. 39.

Conficere hostes pro *prosternere*, ll. 5. Gladiatoribus hæc venatoribus propria locutio, uti elucet ex Lampridij *Commod. cap*, 13. Sed eadem etiam notione usurpatur verbum *conficere* à Cicerone *Orat.* 2. *Catilin.* cap. XI. & à Nepote VI. 1. nec non à Tacito annal. IV. 73. XIV. 8.

Cõsvetudinẽ stupri cũ aliqua habere. VI. 17.

Considere pro *castra metari* II. 2. sicut Cæsar. de B. G. l. 21. & 47.

Constituere alicui leges moresque l. 2.

Constituere sacra. l. 2.

Corrumpere virginem l. 16.

Consumi pro *interfici.* V. 5. sicut Justin. 5. 8. Vell. Paterc. 2. 90.

Con-

Conſilium pro *prudentia* VI. 10. ſicut Nep. 4. 1. & 1. & 14. 1.

Copiæ III. 9. pro divitijs & theſauris ponuntur, ſicut etiam Cicer. orat. pro Dejotaro, cap. 5. & Tacit. ann. 15. 16. hiſt. 3. 60. *Copia* etiam haud raro de exercitu uſurpatur; vid. Cicer. ep. ad Attic. 8. 17 Tacit. annal. 4. 56.

Creare aliquem regem I. 2. conſulem I. 8.

Crinita ſtella X. 4. Sic quoque Ammianus Marcellinus lib. 25. *crinita ſidera cometarum* adpellat ſtellas, in quibus cauda adnexa comæ figuram monſtrat.

Curam ærarij habere X. 8.

D.

D*amnare aliquem capite*, IX. 9. Sic quoq; Svetonius in Claud. c. 39. ſcribit: *quos capite condemnaverat*. Eutrop. II. 4. dixit, *capitis damnare*,

Decedere pro *mori* X. 9. ſicut. Vell. Pat. 2. 112.

Decernere alicui bellum V. 1. eſt, bellum alicui adminiſtrandum dare; conf. Juſtin. 36. 4.

Deferre aliquem in cenſum I. 6.

Deferre alicui honorem II. 2.

Defungi pro *mori*, VIII. 10. alias dicitur *defungi vita*, *defungi morte*; vid. Curt. 3. 11. & 5. 5. ſed optimi etiam ſcriptores dixerunt *defungi*, omiſſo nomine.

Dele-

E.

E.

EDere munera VIII. 6. eſt, ſpectacula ſpectanda præbere & certamina, atq; edere ludos publicos. Quoniam enim munera populo dabant, favorem ejus capturi, cum certamina ſpectanda præberent; hæc munerũ nomine indicata ſunt. Vide Ciceronis epiſt. lib. 2. ap. 3. & 6. & confer Grævij pariter atque Manutij in h. l. adnotationes.

Editus eſt cum fratre uno partu l. 1.

Effringere ludum VI. 6.

Enuntiare alicui dolum, X. 2. eſt occultũ dolum alicui revelare; conf: Nep. 4. 4. & Cæſ. de b. g. 1. 4.

Evadere pro *effugere*, *evitare*, ſicut Plin. ep. VII. 24. & Phædr. lib. 4. fab. 5.

Eſſe alicui in auxilium. IV. 3. VI. 17. at Nepos l. 5. & XXV. 11. dixit *alicui eſſe auxilio*. Sic quoq; Nepos VIII. 3. *venire alicui auxilio* dixit; at Svetonius in Neron. 49. 8. Calig. 58. 8. & in Galb. 20. 4. *venire, accurrere, advolare alicui in auxilium*.

Exigere reges pro *expellere*. l. 10. Jta pariter loquitur Tacitus annal. 6. 3. & 14. 28.

Exordium habere ab aliquo, l. 1. Originem ab aliquo habere, ducere, trahere, inquit Juſtinus XII. 4. XX. 1. XI. 4.

Expaveſcere aliquem II. 6.

Ex voluntate pro *secundum voluntatem*, in præf. Eutr. Nepes IX. 3 *ex more Persárũ.*

Exstingvi pro *interfici.* II. 14. conf. Justin. 21. 1. Nep. 17. 5. & Terent. Ad. 3. 2. versu 16. Vell. Paterc. 2. 54.

Extrinsecus pro *præterea*, IX. 15. ex more ævi quo Eutropius fertur vixisse.]

F.

FAcere muros, I. 5. pro *exstruere*. Nep. I. 3. fecit pontem. Vell. Paterc. 2, 81. templum se facturum promisit.

Feriati dies, *festi dies*, X. 1.

Facere pacem, 1. 7. Eadem loquendi formula usi sunt Vell. Paterculus 2. 50. Nep. 8. 3. Justin: 8. 4. Alias dicitur: *pacem pangere, constituere*, Justin: 3. 7. Nep. 13. 2.

Fastigium resumere X. 2. est resumere dignitatem imperatoriam.

Fataliter mori pro *morbo decedere* 1. 10. Jta pariter loquuntur Justinus 9. 8. & Virgilius lib. 4. Æneidos versu 696. nec non Plin. ep. l. 12. Cicer. or. Philipp. 1. c. 4. & Tacit. ann. 2. 61.

Fatigare alicujus virtutem, II. 5.

Ferre aliquid leniter. VII. 13. Contrarium Cicero ep. IV. 5. habet, dum *hoc*, inquit, *graviter molesteq; tuli.*

Ferre manus ad cœlum II. 6.

Fluxit ita in urbe. II. 1.

Fo-

Forum transitorium. VII. 15. est, ex quo in tria fora transitus patebat.

Frangere aliquem ab impetu, III. 4. dura & insolita syntaxis est. Justinus 32. 1. scripsit: *Gallorum violentiam fregerant.* Nepos XI. 2. impetus ejus retardavit. Phædr. 4. 24. frenare alicujus impetum.

Frangere regionem, III. 8. est, regionis opes debilitare eamque subigere. Sic pariter locuti sunt Justinus 34. 1. Vell. Paterc. 2. 24. & 106.

Frangi casibus II. 14.

Fulmine ictus I. 3.

Fundere hostes pro *vincere & profligare*. IV. 2. sicut Justin. 1. 7. Curt. 4. 16.

Fundere lacrymas, VI. 16. Jta pariter loquuntur Hirtius de B. Alex. c. 24. & Tacitus annal. 4. 53.

Funus exportare VII. 15.

G.

GAza IX. 15. est vox origine Persica; vid. *Jo. Olearii* lib. *de stylo N.T.* p. 367. edit. *Schwarzianæ*. At à Corn. Nepote 14. 5. & Curtio 3. 13. in Romanam recepta est civitatem.

Gemmata calceamenta IX. 16.

Genitum VII. 13. est. thema natalitium, sicut Sveton. *Aug*: c. 94. & *Manil*: *astronom*: lib: 3. versu 166.

H.

Ho-

Hoſtis fuit bonis omnibus. VII. 9. Jta pariter loquitur Corn. Nepos. I. 4.

J.

JAnus Geminus, *templum Jani* IX. 2.
Imperium invadere, ſich zum Kayſer aufwerffen, VII. 1. Sic quoq; Juſtin. 21. 4.
Jmponere finem bello VI. 6.
Jmproſpera valetudo X. 5.
Incidere in inſidias compoſitas. III. 10.
Incivilia gerere X. 7.
Infeſtare maria, VI. 10. eſt maria intuta infeſtaq; reddere; ſicut Hirt: de B. Afr: c. 3. & Juſtin. 39. 5.
Ingraveſcit ævum, IX. 16. pro *ſenectus ingruit,* Cicer: ep: 2. 1. ætas ingraveſcit.
Inſectator religionis Chriſtianæ, X. 8.
Inſidias alicui componere. III. 10. Sic quoq; Tacit. hiſt. 5. 22. Ceterum Nep. 7. 9. inſidias alicui facere; Juſtin. 3. 1. & 43. 4. & 26. 3. inſidias alicui parare, tendere, exſtruere, comparare.
Implere certamen, I. 14. eſt pugnam ad felicẽ exitum perducere. Ceterũ hoc loco *implendum* ponitur pro *impletum iri*; cujus locutionis exemplũ unicum invenitur in libro ſecundo C. Jul. Cæſaris de bello civili, complura vero in Sulpicij Severi libris hiſtoriæ ſacræ duobus, conf. cõmemorati Sulpicij lib. 1. cap. 6. & 8.

Indicere alicui bellum II. 6.

Infractus fuit animus, II. 12. pro *fractus* Jta pariter loquitur Sulpicius Severus lib. 1. h. l. cap. 25. nec non Vell. Pat. 2. 37. Ceterum Nepos ſcribit 18. 5. animi magnitudo fracta eſt; Cæſar de B. G. 8. 19. concidit animo: Cicer. ep, 1. 9. IV. 7. animũ demiſit, abjecit.

Ingredi urbem I. 18.

Inhonorus X. 7. Eadem voce uſi ſunt Plinius V. 30. & Tacitus hiſt. IV. 62.

Injuriam facere alicui, II. 6. Eadem dictio placuit Ciceroni epiſt. VIII. 1.

Injuria legatorum, IV. 6. eſt injuria legatis illata; conf. Nep. 9. 5. Sic. I. 1. injuria raptarum virginũ eſt *injuria raptis virginibus illata*, & I. 11. injuria ſoceri eſt injuria ſocero illata.

Interiecto anno pro *annuo ſpatio eſt* II. 8. ita ſæpius loquitur Cæſ. de B.G. 3. 4. de B. C. 2. 30.

Intereſſe bello III. 2.

Invidiam alicui commovere, I. 18. eſt aliquem in aliorum odium deducere. Invidia pro odio ab optimis quibusq; ſcriptoribus uſurpatur, id quod ex Nepot. X. 4. & XXIII. 2. Sulpic. Sever. lib. 1 hiſt. ſacr. cap. 29. & plurimis operum Ciceronis locis adparet.

Inſerere ſe prœlijs, X. 8.

Inſtruere aciem, II. 11. Ita pariter loquuntur Nepos 18. 8. Cæſar de B. G. 1. 22. At Juſtin. XI. 9. aciẽ ordinare.

Integrum mihi eſt pro *in arbitrio meo poſitum eſt*, X. 9. conf. Cæſar de B. C. 1. 85.

Intra ſex dies pro *ſex dierum ſpatio*, II. 16. Sic Vell. Paterc. 2. 45. intra bienniũ; & 2. 117. intra quinque dies.

Inſtitui ad Philoſophiam, VIII. 6.

Irrumpere in regionem, urbem, VI. 7. Jta pariter loquuntur Cæſ. de b. c. 1. 27. Juſtinus 24. 6.

Itaque pro *& ita*, II. 14. Jta pariter loquuntur Nepos 7. 4. & 25. 11. Terentius Andr. 3. verſu 28.

Itinera omnia II. 13. ſunt omnes viæ. Eadẽ notione hæc vox occurrit in Nepot: 23. 3. Cæſar de B. G. 1. 6. Tacit. annal: 3. 31. Juſtin: 2. 13.

Iungere ſe alicui pro *conjungere ſe cum aliquo* III. 4. Sic quoque Cæſar. de b. g. 8. 48. Juſtin. 16. 2.

L.

LAborare fame, I. 18.

Langvore deficere, VIII. 6.

Latrocinari, I. 1. eſt ex more militũ prædas agere; qua notione etiã Plautus eodẽ vocabulo uſus eſt.

Latrocinari naves, III. 2.

Laxare habenas tenendæ reipublicæ IX. 6.

Legatus pro bellico duce, IV. 2. ſicut ſæpiſſime in libris C. Julij Cæſaris. De diſtinctione in legatos conſulares & prætorios, conf. Lipſij lib. 2. de militia Romana.

Legere pro *eligere*, I. 1. ſicut Juſtin. V. 3. XII. 10. & Vell. Paterc: 2. 103.

Leniter aliquid ſerre, VII. 13.

Libertatē ſibi adſerere, V. 2.

Lugere aliquē quaſi cōmunem patrē I. 9.

M.

MAjeſtatis reus, VII. 13.

Manſvetudo tua, in *Præf. Eutr.* ijs temporibus, in quæ Eutropij ætas incidit, erat titulus Principū: abſtractæ enim locutiones ſequiori demū ævo uſurpari cœptæ ſunt in exprimendis magnorū titulis. Sic quoque *tranquillitas tua* in eadē præfatione eſt titulus Principis.

Mánus parva pro parva multitudine, III. 2. Sic Vell. Pat. 2. 12. Nep: 14 6.

Mediè imperavit, VII. 8. pro *mediocriter imperavit*. *Mediè* pro *mediocriter* præter Eutropiū dixerunt Lactantius, Spartianus, alij. Vid *Cellarij* cur. poſt. *de barbar. & latin*: p. m. 163.

Medi-

Medietas, II. 16. Cadentis Latinitatis vocibus hæc adnumeratur ab *Olao Borrichio* in *cogit, de var: L. L. ætat:* p. m. 162. Usi sunt eadem voce Ammianus Marcellinus 22. 18. Palladius 1. 12. nec non Lactantius; vid: *J. A. Krebsij dissert: de stylo Lactantij.* Cicero *cap:* 7. *lib: de univers: vix audeo*, inquit, *dicere medietates sed, quasi ita dixerim, intelligatur: erit enim planius.* Memini tamen, Ciceronem *Academ: Quæst: lib:* 1. *cap:* 7. scripsisse: *qualitates adpellavi, quas Græci* Piotitas *vocant.*

Memoria in præf. Eutrop: & I. 5. ponitur pro *tempore*, cujus quidam possunt meminisse. Jta pariter loquitur Nepos II. 10. Cicero III *de leg:* & Livius libro secundo sæpissime conf. *Jo. Vorstij* lib: *de Latinitate selecta*, p. 14.

Militáres viri, IX. 9. Militares sæpe dicuntur ipsi milites; at proprie militaris est, qui miles fuit: ideoque militarem recte dicimus militẽ veterẽ, conf. Claudij Salmasij notas Trebellij Pollionis caput sextum illustrantes.

Militare honestis stipendijs I. 16.

Modum dare operi X. 10. est operi finem imponere.

N.

Necessitudines, X. 4. sunt ij, quibuscum Constant: propinqua cognatione conjunctus erat. Necessitudo apud optimũ quemque scriptorẽ propinquã sangvinis conjunctionem donotat; vid: Nep: 10.1. Ceterũ hoc loco necessitudines ponuntur pro necessarijs, sicut VIII. 16. & V.1. 16. *nobilitas* ponitur pro nobilibus, & sicut VIII. 6. *barbaria omnis* ponitur pro omnibus gentibus barbaris.

Nimietas, X. 9. Hac voce etiam usi fuere Columella, Palladius, alij. Vide *Borrichij* cogit: *de var: L L ætat* p. 176.

Nobilissimus de senatoribus, II. 2. Nep: 11. 4. fidelissimũ de servis suis misit.

per Noctem pro *tempore nocturno*, II. 6. Jta pariter loquitur Justinus 1.10. Sic Cicer: ep: XVI. 8. *per hiemem* pro *tempore hiberno*.

O

Obtinere amicitiam ab aliquo II. 9.

Obire diem, *mori* IV. 9. sicut Nep: 1. 7.

Obscurissime natum esse IX. 13.

Occupare urbem I. 18.

Odeum, VIII. 15. est musicorũ ac poetarũ gymnasium.

Opus pro *agricultura*, I. 15. Hac notione Justinus etiam lib: 3. cap: 3. §. 6. eodem vocabulo usus est.

Opus

Opus pro ſtructura VIII. 11. ſicut Nep: 2. 6. & 7.

Orbem terrarum ædificare VIII. 2. eſt ædificijs eum exornare.

O.

P*Acem alicui tribuere* pro *pacē cum aliquo facere*, II. 16. Juſtin: 24. 5. pacem alicui dare.

Pacem ordinare inter quoſdam, IV. 4. Vell: Paterc 2. 76. pax inter eos cōpoſita eſt.

Parens I. 7. denotat cognatum, propinquū; ex more æui poſterioris. Eadem etiam notione Curtius VI. 10. 30. hoc vocabulo uſus eſt.

Partim vicit, alios in fidem accepit, IV. 4. Jta pariter loquitur Nepos 16. 1.

Paſcere aliquem convivio, IV. 4.

Pati Naufragium, II. 12. Nep. 2. 7. naufragium facere.

Pax convenit, VII. 3. Jta pariter loquuntur Nepos 23. 6. Liuius 30. 40. Juſtinus 30. 3.

Pelli urbe pro expelli I. 8. Jta pariter loquuntur Nepos. 3. 1. 19. 3. Juſtinus 12. 5.

Perdere imperium pro *amittere*, I. 7. Jta pariter loquitur Juſtinus 8. 1. Sic I. 12. perdere civitatem eſt *civitatem amittere*.

Peritiſſimus jure VIII. 8. Cic: ep: 3. 1. & 7. 10. ſcripſit *juris conſultus*; & Ouidius lib: 2. Triſt: *arte rudis*: Hirtius de B. Afr: c. 31.

31. *peritus scientia bellandi*;& Cicero or: pro Cluent: c. 38. *jure peritior.*

Perimere copias III. 2.

Pœnis adfici ab aliquo III. 3.

Pœnas dare alicui, X. 6. est puniri ab aliquo; conf. Nep: 1. 3. Vell: Pat: 2. 4. Justin. 16. 2.

Potiri rerum VII. 1. est imperiũ adpisci; sicut Nep: 17. 2. Cæsar: de b. g. 1. 3. Cicer: ep: 9. 6. Justin: 8. 1.

Ponere statuas, II. 3. Nep: XII. 1. statuam facere, ponere, constituere.

Post annum 19, *quam cœperat* pro *anno* 19, *postquã cœperat*. Jta pariter locutus Nep: III. 3. § 3.

Posse plurimum, II. 10. est, magnam potentiam habere. Jta pariter loquuntur Nepos 8. 3. Cæsar de B. G. 3. 9. Cicero ep: 4. 13.

Post aliquantum, II. 1. Nep: VII. 11. post aliquanto, & XXI. 3. non ita multo post.

Postremo scil: tempore, VII. 3. conf: Nep: 18. 12.

Præcipuus vir, II. 17. est vir nobilissimus summaque virtute præditus, conf: Vell: Patercul: II. 92. & 121.

Premi pro *vexari*, I. 12. Jta pariter Justinus loquitur II. 1.

Primus fere, III. 9. est fere princeps atq; præcipuus, sicut Nep: XI. 1. Vell: Paterc, 2. 64. Cæsar: de b. g. 2. 3. *Præ-*

Prædam magnam capere, III, 9, Jta pariter loquitur Nepos 14, 10, Ceterum Juſtin: 22, 6, prædas ingentes agere,

Præfectus prætorio VII, 15, Hujus ſpartam Zoſimus deſcribit Vid: *Jacobi Perizonij comm: de prætore & prætorio.*

Provocare aliquē ad ſingulare certamē II, 2.

Purgare dedecora, VII, 7 eſt dedecora honeſta præſcriptione ceu pallio tegere. Ita pariter loquitur Tacitus ann: 4, 42,

Purpuram ſumere IX, 6, eſt imperiū ſumere: nam purpura Romani imperij & Auguſtorum inſigne erat. Conf: Salmaſij notat Trebellij Pollionis caput XVII. *de trig: tyr:* explicantes.

Q.

Q*Vadriennium fluxit*, II, 1. Cæſar de B, G. I, 7, quatuor annorū ſpatiū interceſſit; & de B, C, III, 69, quatuor annorū mora interiecta eſt.

Quam pro poſtquā, II, Sic quoque loquuntur Vell: Paterc: 2, 80, Cicer: de orat: 2, 3, Liuius 21, 15, Curtius 4, 4, Nep: 3, 1,

Queri alicui de injuria I, 7,

R,

R*Apere alicui virginem* I, 1.

Rationalis IX, 9, Rationales ſequens ætas dixit, quos primi vocarunt procurato-

ratores principũ; conf: Jsacci Casauboni notas quibus cap: 45. Æl: Lamprid: Alex: Sev: illustravit. Rationalis igitur est, qui præfectus rationibus fisci est.

Recipere se in Asiam, *VI*, 11. Jta pariter loquitur Nepos 18, 4,

Recipere civitates pro *recuperare*, III, 10, Jta pariter loquuntur Nepos 7, 5, Justinus 6, 3,

Redijt respublica ad prosperrimũ statum, VIII, 1,

Redigere aliquid in suam potestatẽ II, 16,

Reducere prædam ingentem II, 13,

Recesserunt ex pugna victores, I, 9; Nep: 18, 10, supriores ex prœlio discesserunt,

Recipere aliquem in civitatem I, 1,

Reperire occasionem II, 4,

Regnum accepit, I, 5, Justin: 19, 1, 16, 4, regnũ ei traditum est, ad eum delatũ est.

Rempublicã componere, VI, 1, est, in statum tranquillum eam vindicare; Justin: 17, 3,

Reprimere tributa, X, 8,

Repudiare legatos, I, 13,

Removere uxorem à complexu, II, 14,

Restitui in regnum, Eadem phrasis placuit Nepoti 3, 1, 11, 2, & Justino 16, 3, 35, 1,

Retro se recipere, II, 11, Justin: 42, 5, refugere. Oppius de B, Afric: cap: 50. retro regredi,

Ro-

Rogare legem, X,4, eſt legē ferre ſive ſancire rogato populo:ideo à Cicerone, Liuio, alijſq́; *rogatio* ſæpe ponitur pro lege. Conſ: Tacit: annal: 4, 14, & 12, 26. Eutropius vere X, X, loquitur veteri, cum libera eſſet reſpublica.

Rumpere pacem, VI, 5, Juſtinus 3. 7, *inducias*, inquit, *rumpebant*, *quas condixerant*.

S.

SCriniorum magiſter, VIII, 14, eadem erat olim dignitate, qua noſtro æuo ſunt *Cancellarij*. Apud Æliū Spartianum *cap*: 4, *Ælij Veri* antiquiſſima exſtat hujus dignitatis mentio, cujus verboſam explicationem exhibet *Claudius Salmaſius* in notis, quibus caput triceſimū primū vitæ Alexandri Seueri, ab Ælio Lampridio deſcriptæ, illuſtravit. Quatuor fuere *ſcrinia*, unum *epiſtolarū*, alterum *memoriæ*, tertiū *libellorum*, & quartum *diſpoſitionum*: & præter magiſtros ſingulorū ſcriniorum, omnia ſimul ſcrinia magiſtrum habebant, qui dicebatur magiſter ſcriniorum.

Securitate munire provincias VIII, 10,

Seditionem facere I, 12, Jta pariter loquitur Cicero epiſt X, 32. Præterea Nep: 25, 2, tumultu ciuitatem perturbare; & 3, 1, ſeditionē concitare. Tacit: hiſt: 4, 68, ſeditiones miſcere.

Sedi-

ep: XIII, 31, quam honorificentiſſime aliquem tractare.

Trahere bellum III, 1, eſt, bellum per moram & cunctando gerere. Jta pariter loquuntur Vell: Pat: 2, 52, Livius 4, 18, & 9, 23, Curtius 3, 8, & Tacitus annal: 15, 10, Alias etiam dicitur *bellum ducere*; vid: Nep: 7, 8, Cæſar: de B, G, 1, 38, Cicer: ep: 7, 3,

Traijcere in Italiam, V, 5, eſt, itinere navali in Jtaliam tranſire; ſicut Nep: 1, 3, & 17, 4, Curt: 4, 9, Juſtin: 20, 1, ideoq; *trajectus* eſt locus, ubi traijcitur, Cæſ: de b, c, 2, 20,

Tranſigere bellum, II, 16,

Triũphare de hoſtibus, III, 1. Sic quoq; Tacit: annal: 2, 41, At non minus recte dicitur *triumphare aliquem*, vid: Tacit: Germ: cap: 37, Juſtin 41, 1, Ceterum Vell: Paterc: 2, 30, Cicero de offic: 2, 8, & Livius 40, 45, dixerunt etiam: *triumphare ex gentibus, ex regionibus*,

Tributa præſtare, IV, 4.

Turbare pacem, III, 12, Eadem locutio placuit Tacito hiſt, 4, 22,

Turbatæ res ſunt, X, 9,

U, V,

VAſtare omnia ferro & igne II, 7,

Vehere aliquid humeris ſuis, III, 2,

Veniam ac pacem dare alicui VI, 11,

JNDEX

JNDEX GEOGRAPHICUS. IN EUTROPIUM

A.

Achaia V, 3, Omnis Græcia à Romanis olim in *Macedoniã* divisa est & *Achajam*: utraq; provincia præsidem separatim indepta vel prætoriũ vel consularem. Vid: Cellarij *geogr*: *ant*: tom: I, p, 1022,

Ægyptus lll, 1, regio Africæ; quæ à quibusdam in tres partes dividitur, *Delta*, *Heptanomidem* & *Thebaidem*: ab alijs vero in duas, nimirum in superiorem & inferiorem, Cellar: geogr: ant: tom: ll, p, 3, 6, 7, *Afr*:

Aequi ll, 1, pop: Jtaliæ: Pòétæ Æquos sæpius adpellant Æquiculos. Hi ceterum *Æqui* inter Sabinos Latinosque erant medij.

Aetoli IV, 2, incolæ Ætoliæ, quæ erat pars Græciæ propriæ, & ab Acheloo flumine ad fretum sinus Corinthiaci patebat.

Albani l, 3, non sunt *pop Macedoniæ*, de quo Cellarius tom: 1, geogr: ant: pag: 1027,

quæ dicitur *Attica.* Laudibus ſummis hanc urbem effert Cicero lib: l, *de oratore* cap: 4, Dicitur ea h, l, *civitas Achaiæ*; non quidem *Achaiæ propriæ*, quæ incipiebat ab *Iſthmo*, ſed partis ſecundæ Græciæ: Romani enim Græciam univerſam dividebant in Macedoniam & Achajam.

B.

Baſterni lX,15, populus *Germaniæ Tranſviſtulanæ.* Vid: *Cell: geogr: ant:* tom: 2, pag: 487,

Bebriacum, Vll, 11, locus Jtaliæ,

Belgica lX, 13, eſt Gallia Belgica, quam accurate illuſtrat Cellarius geogr:ant:tom: l, p, 254, ſqq.

Beneventum ll, 9, olim à gravitate ventorum ibi graſſantium *Maleventum* dictũ, poſtea, cum colonia fieret Romana, boni ominis ergo dicebatur *Beneventum* Urbs erat Jtaliæ,

Beſſi Vl, 8, ferocia inſignes erant populus. Thraciæ,

Bithynia, lV, 3, regio prima earum, quæ ſeptentrionem peninſulæ magnæ Aſiaticæ ſpectabant,

Bononia lX, 13, eſt Bononia Belgica, à Bononia Jtaliæ & à Bononia Pannoniæ diverſa. Ceterũ Bononia, cujus h, l, iniicitur mentio, tria habuit olim nomina :

nimirum primum nomen *Icij*, temporibus Cæsaris; *Gessoriaci* deinde; & tandē Constantinorum ætate *Bononiæ*,

Bosporus VI, 10 erat fretum inter Byzantium & Chalcedonem. Hoc ideo nomen habet, quod teste Ammiano XXII, 13. Jo, Jnachij filia, in vaccam mutata, ibi trajecisse fingitur.

Bruttij II. 7. incolæ alterius Jtaliæ peninsulae, quae in austrum vergit & ad Siciliam.

Byzantium VII, 13, Nobilis haec urbs, ubi Bosporus Propontidi adhæret, adposita est: & postea, auctior facta atque ornatior, Constantinopolis nomen accepit. Vid: Cellarij lib: cit: tom: I. p. 1317.

C.

C*Abira* VI, 7, urbs Ponti. Cabiris autē arx regia Mithridatis exstructa fuit: Mithridates multis quidē operibus eam exornavit, at Pompejus urbem fecit vocavitque *Diopolim*.

Caeninenses I, 1, incolæ Cæninae, oppidi Sabianorum.

Calatis VI, 8, urbs Mœsiae & colonia Heracleotarum.

Campania I, 3, regio Jtaliae, inter Latium, Samnium, Picentinos & mare inferum posita. Maximus amniū Campaniæ est *Vulturnus*. *Can-*

Cannæ III. 5. fuerunt vicus Apuliæ, regionis Jtaliæ; prope quem Hannibal aliquando caſtra ſua poſuerat,

Cappadocia IV, 9, in *Ponticam* dividitur,& *Magnam* ſeu Cappadociam ad Taurum. Conf: *Cellarij geogr: ant:* tom: 2, p, 349.

Capua V,5, antiqua Campaniæ urbs, caput ſuæ gentis & urbium finitimarum.

Carræ VI, 15,fuerunt antiquum Meſopotamiæ oppidum, in quod poſtea colonia fuit deducta.

Carpi IX, 15, urbs Africæ propriæ.

Catti VII, 15, ampliſſima Germaniæ natio: lateque diffuſa, nimirum ab ortu ad Salam amnem per Thuringiam, à ſeptentrione in Weſtphaliam ad Paderbornenſes fines; & præter Haſſiam,Wetteraviam & partem tractus Rhenam ac ripas Loni fluvij, omnia inter hos fines poſſidebant·

Carthago II, 11, caput Africae propriae. Haec urbs à Tyrijs condita fuit Romanorum aemula, eorumque poſt excidiū colonia nova.

Celtiberia IV, 7, pars Hiſpaniae, cujus caput fuit Segobriga.

Cibalæ X, 4, oppidum Pannoniae,imperatorū Valentiniani & Valentis patria.

Cilicia VI, 1, ampliſſima regio,inter Pam-

Cre-

Creta VI, 9, una ex maximis Græciæ inſulis, à Peloponneſo fere usq; ad Aſiæ fines protenſa, & longitudine ducenta & ſeptuaginta millia paſſuum implent.

Cruſtumini I, 1, incolæ Cruſtumerij, oppidi Jtaliæ, ſupra Fidenas modico intervallo poſiti ad Tiberim,

Cyzicus VI, 5, pervetuſtum & nobiliſſimū Phrygiæ oppidum, deſcriptum à Floro lib: III, Noſtro ævo Turcica ſervitute una cum reliquis Aſiæ minoris urbibus premitur,

D,

D*Aci* VII, 15, incolæ Daciæ, quos deſcribit Cellarius lib: cit: tō: 1, p, 594, ſqq:

Dalmatia IV, 10, regio Jllyrici, dives metalli,

Dardani V, 4, populos Mœſiæ,

E,

E*Boracum* VIII, 10, urbs Britāniæ inclu- ta, & ſedes principum, hodie *Yorck* dicitur,

Edeſſa VIII, 11, urbs Meſopotamiæ, ſita in relione Oſdroëne,

Epirus II, 6, regio Græciæ,

Eumenia IV, 2, urbs Phrygiæ, Cludro flumini adjuncta,

F,

F*Aliſci* I, 18. populus Etruriæ in Jtalia, & incolæ *Faleriorum*, oppidi.

Fi-

Fidenantes I, 1, incolae oppidi *Fidenarum*; quod oppidũ quadraginta ab Roma aberat,

G,

GAbij I,7, oppidum Latij, medio fere inter Romam & Præneſte loco ſitum,

Gallæci IV, 8, populus Hiſpaniæ, qui prope amnem Duriũ habitabant, *Cellarius* geogr: ant: tom: 1, pag: 101, legendũ cenſet *Callæci*: nomen enim eos traxiſſe oſtendit à *Calle*, oppido antiquo ad Durij amnis oſtium in colle ſito,

Galli Seniores I,18, ſunt populus Galliæ, qui ſupra Pariſios ad Sequanã circa Jcaunæ confluentes habitarunt. Ceterum magnam belli gloriam conſecuti erant,

Gothi X, 4, Philippus Cluverius *antiqv: German*: *III*, 34, operoſe contendit, Gothones, quorum mentionem Tacitus *cap*: 43, *Germ*: fecit, eſſe ipſos Gothos, quorum poſteri per imperij Romani provincias ſeſe effuderint: & uſos eſſe gemina vocabuli forma; ſicuti ijdem *Burgundi* dicantur & *Burgundiones*.

H,

HEraclea IX, 9, urbs Thraciæ, quæ antea *Perinthus* dicta eſt, Vid: Cellarij geogra: ant: tom: 1, p, 1313,

Hiſtri III, 2, incolæ Hiſtriæ, quæ quondam pars fuit Jllyrici, & ſub Cæſaribus demum adiecta Jtaliæ:

J,

J.

Iberia VI, 11, olim fuit Hispania, ab Jbero fluvio denominata,

Jllyricum III, 1, regio illa, quæ mare Adriaticum à tergo adiacet usq; ad Panoniã, Jncolæ ejus dicuntur *Jllyrij*,

Indi VII, 5, incolæ Jndiæ, amplissimæ orientis regionis, quæ secundum duos fluvios maximos, Jndum & Gangem, in duas partes magnas dividitur,

Isauria VI, 3, 4, regio Pamphyliam & Ciliciam contingens, aspera & montana, in Tauro fere sita,

Italica VIII, urbs Hispaniæ; sita in provincia *Bætica*; clara Augustis alumnis, Trajano & Hadriana,

L,

Latini I, 4, incolæ antiquissimi Latij, quod egregie illustrat Cellarius lib: cit: tom: 1, p, 786, sqq:

Libyssa IV, 2, urbs Bithyniæ, circa Nicomediam sita,

Lilybæum II. 16, est promontorium cum oppido & portu ejusdem adpellationis, situm in Sicilia,

Ligures III, 1, Jncolæ Liguriæ, regionis Jtaliæ,

Lucania IX, 9, regio Jtaliæ, cujus incolæ dicuntur *Lucani*, vid: Eutrop: II, 7:

Lusi-

Parthi IX, 12, incolæ *Parthiæ* regionis Aſiæ; Parthorum autem imperium amplius erat ſola Parthia.

Parthenopolis VI, 8, urbs prope Pontum, ſita, Calatim inter & Tomos.

Perſis VIII, 2, interdum idem ſignificat, quod *Perſia*; id quod intelligimus ex Mela, Plinio, Curtio & alijs. Jnterdum vero denotat *Perſidem propriam*, ſitam inter Elymaidem & Carmaniam.

Peligni V, 2, populus Jtaliæ.

Phœnice VII, 11, oppidum Epiri.

Picenum II, 4, ſive *ager Picenus* in Jtalia, cujus incolæ *Picentes* dicuntur, diverſi à *Picentinis*, de quibus agit Cellarius tom: 1, p: 859.

Pœni II, 14, ſunt Carthaginenſes: *Poenus* enim & *Punicus* ſunt eorum cognomina, deducta per detractam adſpirationem à Phœnicibus, quibus illi ſuam debent originem.

Pontus VI, 7, 8, regio, quæ à vicino mari, Ponto Euxino, nomen traxit: eſtque tota maritima, ita ut omnem iſtam ſeptentrionalem Aſiæ minoris oram complectatur, quæ Euxinum reſpiciens ab occidente uſque in orientem protenditur.

Pyrenæi montes III, 4, Hiſpaniam à Gallia ſejungunt.

Q.

QVadi VIII. 6. à tergo montium Bohemicorum ad ripam Danubij usq; ad flumen *Marcum*, qui nunc *March* dicitur, Moraviam præterlabens, sedes suas habuerunt. Tractum regionis tenuere, qui fere cum Moravia congruit.

R.

RHætia IX. 6. videtur comprehendere & propriam Rhætiam & Vindelicam, Uni enim præsidi & Rhætia & Vindelicia subjecta erat; à quo diversus fuit, cui parebat Noricum.

Rhodanus VI. 14. est fluvius Galliæ Narbonensis, & celeritate & fertilitate præ ceteris celebris. Gallis hodie dicitur *le Rosne*.

Rhodus VII. 13. maris mediterranei, qua Asiæ minoris latus alluit, insula, Cariam & Lyciam ad septentrionem respiciens, à rosarum vel multitudine vel inventione, cum urbis ejusdem nominis fundamenta jacerentur, nomen accepisse quibusdam videtur.

Roma I. 1. domicilium imperij orbis terrarum, rerumque domina: caput Jtaliæ. Verbosam ejus descriptionem exhibet *Cellarius* I. c: tom: 1. p: 789. sqq:

SAbini I. 1. gens Jtaliæ antiquissima.

Saguntum III. urbs Hispaniæ, cujus injusta oppugnatione Hannibal bellum Punicum secundum accendit.

Salonæ IX. 16. Urbs Jllyrici nobilissima, quam Mela II. 3. singulari numero, Cæsar, de B. C. III. 8. plurativo numero exprimit.

Salentini II. 9. populus Jtaliæ circa promontorium Japygium.

Samus VII. 13, clarissima Asiæ insula.

Samnium II. 9. regio Jtaliæ, cujus incolæ *Samnites* fuere; vid: II. 4. 5.

Sarmatæ VIII. 6. incolæ Sarmatiæ, quæ in universum tam Europæ quam Asiæ pars est.

Sardi III, 1, populus Sardiniam incolens, fertilem admodum insulam.

Sauromatæ VIII, 2, Græco ore sunt ipsi Latinorum Sarmatæ; quod tamen nomen speciatim de incolis illius Sarmatiæ partis usurpatur, quæ est circa Tanaim.

Scythæ VII, 5, populus, qui maximam Asiæ & Europæ partem, quæ ad boream vergit, inhabitavit.

Sophene VII, 11, regio Armeniæ.

Svevi VIII, 6, omnes inter Albim & Vistu-

ſtulam Germani olim vocabantur, teſte Tacito *Germ: cap*: 38.

Sueſſa Pometia I, 7, urbs Jtaliæ, Volſcorum metropolis. Cognomen additur, ut à Sueſſa Auruncorum diſcernatur.

Sutrini II. 1. incolæ *Sutrij*, celebris urbis Hetruriæ.

Syracuſæ III.8.maxima & potentiſſima urbs Siciliæ.

Syria III, 1, regio à præcipua urbe *Tyro*, T. in S mutato, dicta, olim quoque Meſopotamiam & Babyloniam complexa; quæ tamen poſtea avulſæ ſunt. Conf: *ind: Georg*: Buchnerianæ Nep: editioni adjunctus.

T.

TArentum II. 8. urbs Jtaliæ tam antiqua, ut cum Trojanis temporibus certare poſſit. Lacedœmonij poſtea eam occuparunt auxeruntque colonia.

Tigris IX, 12, alter ex majoribus fluvijs, qui ex Armenia prorumpunt, in ſinum Perſicum euntes.

Theſſalonica X, 4, urbs Macedoniæ præclariſſima, fuit olim vicus, Therma dictus.

Theſſalia VI,16, non *Theſſaliam* modo *propriam*, quæ à Strabone *Teſtaliotis* dicitur, ſed univerſam regionē Theſſaliam ſigni-

ſignificat, quæ in quatuor partes diviſa eſt, quæ ſunt *Phthiotis*, *Eſtiæotis*, *Theſſaliotis* & *Pelaſgiotis*.

Teutones V, 1, cognomen Germanorum, ſerius illis inditum. Vocabulum *Germanorum* ab ipſis Germanis à voce *gerre*, i,e, bello, uſurpatum eſt. *Alemannorum* nomen ante Antoninorũ tempora nullibi invenitur. Hoc autem loco *Teutones* ſunt pars Germanorum. Fortaſſe intelligendi ſunt, ij, qui Cimbris erant vicini.

Triballi IV, 11, populus Mœſiæ.

Tuſci I, 7, populus Jtaliæ propriæ, incolens Etruriam.

Tuſculum I, 10, urbs Latij, ſita ſupra Albam in colle, verſus ſeptentrionem.

V,

VEientes I, 1, ſeu *Veientani*, populus Jtaliæ propriæ, incolæ *Vejorum*, ditiſſimæ civitatis.

Volſci I, 7, populus Latij.

TANTUM.